

Q. D. B. V.
EXERCITATIO HISTORICO - THEOLOGICA

DE
ORIGINE, DIGNITATE,
ET VSV NOMINIS CHRISTIANI

AD ACTOR. XI. COM. XXVI.

QVAM
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE AC MONTIVM,
ANGARIAE ET VVESTPHALIAE, ETC.

PRAESIDE
IO. FRANCISCO BVDDEO

SS. THEOL. D. ET P. P. O.
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI
AD DIEM IVNII M D CC XI

SUBMITTIT
A. & R.

M. IOHANNES RÖSNERS

NORIBERGENSIS.

I E N A E
LITTERIS MULLERIANIS.

23.

Coll. diss. A
15, 25

a. XV. 25.

11

ORIGINE DIGNITATE
ET RITUS MONASTII CHRISTIANI

AD ACTOR. Z. COM. XVI.

RECTOR MAGNIFICENTISSIMO
MAGISTRO PAVLO W. BOBRO

DR. GUILIELMO HENRICO

PROFESSORIS CLINICAE DE MONTM.
ANATOMIAE ET VESTIMENTARIE, ETC.

IO. FRANCISCO BADDIO



PHYSICAE ET ANATOMIAE EXAMINIS
AD BACC. MONTM. D. CO. XI.

M. JOHANNES KOSNERUS

LITTEPIS MILLERANIS



DISSERTATIONIS
DE
ORIGINE, DIGNITATE, AC
VSV NOMINIS CHRISTIANI

Σύνοψις.

Instituti ratio, §. I. De origine nominis christiani verba Lucae adferuntur, §. II. Quando hoc contigerit? §. III. Quo loco? §. IV. Non sine singulari Numinis providentia factum, ut Antiochiae discipulis nomen christianorum imponeretur, §. V. Qua occasione? §. VI. Priusquam, qui Christum sequebantur, christianorum nomen acceperunt, discipuli dicti sunt, §. VII. Itemque fratres & sorores, §. VIII. An etiam Nazaraei dicti sint? Nazaraeos plerumque inter haereticos referrî, §. IX. De quibus tamen alii mitius sentiunt, §. X. Alii eos prorsus defendunt, §. XI. Sed perperam, §. XII. Et si initio omnes christiani Nazaraei dicti sint, deinde tamen hocce nomen certis haereticis haesit, §. XIII. An antea christiani etiam

Issacii

Ieffaei dicti sint? §. XIV. Quinam per therapeutas apud Philo-
nem intelligantur? §. XV. De loco Adriani imperatoris apud Fla-
uium Vopiscum disquiritur, & an ibi per aliptas intelligendi sint
christianorum presbyteri, §. XVI. Galilaeorum nomine an olim
venerint christiani, & quidem ante Iuliani imperatoris tempora?
§. XVII. A gentilibus christiani cum Iudaeis confundeban-
tur, §. XVIII. Inuisum maximopere olim erat nomen christia-
norum, §. XIX. Idem tamen, si denominationis rationem spectes,
maxima cum dignitate coniunctum, idque primo, ob arctissimam
christianorum cum Christo unionem, §. XX. tum &, quod eius-
dem cum eo vnctiois illos participes factos, hoc nomine innui-
tur, §. XXI. itemque, quod in munerum, quibus ille functus est,
participationem venerint: speciatim prophetici, ad quod requiri-
tur, ut Deus cum illis loquatur, §. XXII. & illi cum Deo in
precibus & gratiarum actionibus, §. XXIII. & denique ut de Deo,
rebusque diuinis ad alios verba faciant, §. XXIV. Officium sacer-
dotale christianorum in quo consistat, §. XXV. itemque regium,
§. XXVI. Quanta christiani nominis sit dignitas hinc colligitur,
§. XXVII. Interna nominis huius dignitas, mox cum externa
fuit cummutata, §. XXVIII. Quaenam hinc in ecclesiam christia-
nam redundauerint incommoda, & quo pacto iis obuiam eundum,
§. XXIX. De legitimo nominis christiani usu: an haeretici recte
illud sibi vindicent? §. XXX. Quaenam ratio sit inuestigandi,
quinam quoad doctrinam, christianorum nomen mereantur: ubi si-
mul in Io. Clerici hac de re sententiam inquiritur, §. XXXI. In-
dignos quoque esse nomine christiano, qui vitae ratione moribusque
prauis fide se destitui demonstrant, §. XXXII. A christianismo ne-
minem excludi, modo quis seipsum non excludat, probatur, §.
XXXIII.

Q.D.B.V.



Q. D. B. V.

§. I.



Ulo notius est in orbe vniuerso christianorum nomen, eo forte pauciores sunt, qui vim eius & significationem recte intelligunt, aut, cum eo insigniuntur, num illo digni sint, se explorant. Sufficit plerisque, si commodorum, quae hodie hocce nomen comitantur, non sint expertes, locoque adeo meliori habeantur, quam aut ethnici, aut Iudaei, vel Muhamedani, qui aut plane inter christianos non tolerantur, aut ea inter illos conditione viuunt, vt contemptui omnium atque vilipendio sint expositi. Et ita ex vitae ratione externa cuncta metientes, de reliquis

A

liquis

liquis non sunt solliciti , nec vllam animam su-
um curam, an reuera tales sint, quales tam au-
gusti nominis ratio postulat , subire patiuntur.
Nec inter infimae saltem sortis, aut plebeios ho-
mines inuenire licet, qui nomen, quod non in-
telligunt , & cuius adimplere significationem,
nunquam in animum induxerunt, vsurpant , sed
inter eos quoque, qui sapere prae reliquis sibi vi-
dentur , quippe quorum haud pauci nominis
istius genuinam rationem sibi minime perspe-
ctam esse, si non verbis , opinionibusque a veri-
tate multum dissentientibus, certe opere ipso, vi-
taeque quam tenent, consuetudine demonstrant.
Quae cum mecum perpenderem, operae me fa-
cturum pretium duxi , si de origine , dignitate,
atque vsu nominis christiani, nonnulla commen-
tarer.

§. II. Originem aperte indicat Lucas diuī-
nus scriptor , *Actor. XI. 26.* Cum enim nar-
rasset, Paulum a Barnaba Antiochiam euocatum,
subiicit ; ἐγένετο δὲ αὐτὸς ἐνιαυτὸν ὅλον συνα-
χθῆναι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ , καὶ διδάξαι ὄχλον ἰκα-
νὸν χρηματίσαι τε πρῶτον ἐν Ἀντιοχείᾳ τὰς
μαθητὰς χριστιανούς. Quibus verbis cum mul-
ta

ta Lucas complectatur, vt cuncta eo distinctius euoluamus, primo de tempore, quando hoc factum sit, vt discipulis Christi, christianorum nomen imponeretur, dispicere iuuat.

§. III. TERTULLIANVS auctor est, hoc factum sub Tiberio.* *Tiberius ergo, inquit, cuius tempore nomen christianorum in seculum intrauit.* Sequitur TERTULLIANVM, EVSEBIVS, eundem ex eo referens locum.** Sunt autem, qui hoc per prolepsin dictum existimant, cum ex *Actor. XI. 26. 28.* haud obscure constet, sub Claudio imperatore hocce nomen enatum esse: quam sententiam confirmat IOANNES ANTIOCHENVS, in *chronologicis*, apud IOAN. SELDENVM.*** Consentit quoque SVIDAS, EPIPHANIUS, † aliique. Hoc vero si ita se habeat, necesse est, vt iam nouem, vel decem circiter anni post Christi mortem & resurrectionem effluxerint, priusquam nomen christianorum oriretur. Quod illorum prorsus repugnat sententiae, qui characterem completae

A 2

epo-

* *apol. cap. V.*

** *hist. eccles. lib. II. cap. II.*

*** *de synedr. lib. I. pag. 122.*

† *haeres. XXIX. num. 1. & IV. add. PHIL. IACOBVS HARTMANNVS, in originib. soc. christianae, cap. II. p. 54. 55. 3*

epochae LXX. hebdomadam Danielis, in gentili-
 um receptione, & noua ista fidelium denomi-
 natione, collocant. Hi enim, vt initium vltimae
 septimanae numerant ab initio ministerii Christi,
 ita alteram septimanae huius partem inchoant
 a passione & morte Christi, & finiunt in
 receptione gentilium, & denominatione noua
 fidelium. Iuxta horum itaque sententiam qua-
 driennio circiter a passione, morte, resurrectio-
 ne, & ascensione Christi vtrumque contigit, &
 introitus Petri ad gentes, & noua ista christiano-
 rum nomenclatura. Versatur in hacce opinio-
 ne ABRAHAMVS CALOVIVS,* qui & plures alios ei-
 dem adstipulantes, allegat. Quae si admittatur,
 tempus denominationis huius incidet in annum
 Christi XXXVII. & Caii imperatoris secundum.
 Vt autem eam, quae in hac sententia supponitur,
 septuaginta septimanas Danielis computandi ra-
 tionem, reiicere animus non est, quippe quae
 fundamentis haud adeo infirmis nititur, ita sal-
 uam eam esse putamus, etsi vel maxime denomi-
 nationis istius, de qua nobis sermo est, origo, ad
 tempora Claudii referatur. Non enim necesse
 est, vt cum receptione gentilium in ecclesiam,
 noua

* in chronico biblico, sect. VIII. quaest. XIV. p. 150. sqq.

noua ista discipulorum Christi denominatio im-
mediate sit coniuncta, cum nihil obftet, quo mi-
nus illa aliquot annis hanc praecedere potuerit.
Cumque Lucas etiam haud obscure *Actor. XL. 28.*
innuat, sub Claudio hoc contigisse, & chronolo-
gia annorum Pauli idem confirmet, praeferen-
dam omnino illorum sententiam existimo, qui
anno Christi XLIII. qui est Claudii Imperatoris
III. hocce contigisse autumant, vt discipuli serua-
toris, christiani adpellitarentur. Quam etiam
sententiam calculo suo adprobant atque confir-
mant viri longe eruditissimi, IOANNES PEARSONIVS,*
IACOBVS VSSERIVS,** TILLEMONTIVS,** aliique.

§. IV. De tempore cum certi sumus, nunc
de loco etiam dispiciendum. Eum Antiochiani
fuisse, constat. Quod quidem nomen cum plu-
ribus olim vrbibus commune fuerit, hic tamen
eam intelligi, quae Syriae olim caput, & teste
PTOLOMAEO † ad Orontem fluum sita fuit, con-
stat. De ea STRABO: †† Καὶ δὴ μητροπόλις

A 3

851V

* in *annalib. Paulinis ad annum XLIII.*

** in *annalib. vet. & noui testam. ad ann. Christi XLIII.*

*** dans *ses memoires pour seruir a l'histoire ecclesiastique,*
tom. I. part. II. p. 526. sqq.

† *lib. V. cap. XV.*

†† *lib. XVI. p. 516.*

ἔστιν αὐτὴ τῆς Συρίας, καὶ τὸ βασιλεῖον ἐνταῦθα
 ἰδρυτο τοῖς ἀρχαῖς τῆς χώρας ; *est etiam haec*
 (Antiochia) *metropolis Syriae , eratque sedes ibi*
regia illorum, qui regioni imperitabant. THEODO-
 RETO * *caput orientis, audit, & TULLIO : ** locus no-*
bilis, celebris quondam urbs, ἔ copiosa, atque eru-
ditissimis hominibus , liberalissimisque studiis ad-
fluens. Longe autem maiorem consecuta est
 gloriam ex christiana , quae ibidem effloruit ec-
 clesia , immo ob ipsum , quod ibi exortum est
 christianorum nomen longe augustissimum.
 Ideoque & medio aevo nomen Θεσπόλεως
 meruit. Testis est PROCOPIVS : *** Αἰλιόχεια ,
 ἢ νῦν Θεσπολις λέγεται , Antiochia , quae nunc
 Theopolis, hoc est, Dei civitas, adpellatur. Quo
 nomine etiam vocatur in praefatione novellae
 CIX. Ipsa autem ecclesia Antiochena varia &
 memoratu digna experta est fata, de quibus ex-
 ponere, huius loci non est. †

§. V.

* *lib. V. hist. eccles. cap. II.*

** *pro Archia, cap. III.*

*** *lib. II. de aedif. cap. X. ἔ lib. V. cap V. add. CHRISTOPH.*
CELLARIVS, geograph. antiqu. lib. III. cap. XII. p. 417.
418.

† Interim conf. BASNAGE *hist. de l' Eglise tom. I. lib. III.*
per integr.

§. V. Non sine singulari id contigisse Numinis prouidentia, vt Antiochia hoc nomen discipulis imponeretur, vt credamus par est. Erat enim vrbs gentilis, & ecclesia ibi collecta, omnium prima, quae partim iudais, partim conuersis gentilibus constabat: ne scilicet Hierosoly-ma, illustri christianorum nomine, quasi suis ciuibus aut primo aut praecipuo iure dato, superbiret. Deinde, fuit Antiochia metropolis Syriae, sedesque primaria terribilis istius Antiochi, qui in veterem Messiae populum nefandis stragibus grassatus, illius temporis anti-christus, im-mo typus veri anti-christi, dici meruit. In ea autem vrbe trophaea sua erexit Christus, vbi Sata-nae hostisque sui thronus fuerat: atque inde regni & populi sui exire nomen iussit, qua patet orbis, extra anni solisque vias, vnde dirissima quondam populi sui persecutio, & sanctuarii sui profanatio exorta est. Fuit denique Antiochia eo tempore ciuitas maxima, potentissimaque totius Asiae, vt Alexandria Africae, & Roma Europae: hinc non solum vrbs huius splendor magnificentiam aliquam huic nomenclationi conciliare, sed plurimum quoque conferre potuit, vt eo velocius & maiori compendio nomen chri-

chri-

christianorum per orbem inclaresceret. Refert
 hasce rationes, cur Antiochia huncce honorem
 prouida Numinis cura reseruauerit, HERMANNVS
 WITSIVS,* qui & simul obseruat, FLAVIANVM, Antio-
 chiae episcopum, ad Theodosium imperatorem,
 pro ciuitatis salute orantem, utroque hocce eam
 commendasse argumento, quod & ipsa esset fre-
 quentissima, & in ea primitus natum christiano-
 rum nomen.

§. VI. Quaenam occasio fuerit nomen
 christianorum discipulis imponendi, non liquet,
 etsi fuisse aliquam, verosimile admodum videa-
 tur. CAESAR BARONIVS,** apud ATHANASIVM vel VI-
 GILIVM potius TAPSENSEM, eam sibi inuenisse visus
 est, quippe qui asserit, ut a Dosithaei, aliorum-
 que sectatoribus, veri Christi discipuli discerne-
 rentur, his christianorum nomen impositum.
*Omnes, inquit VIGILIVS,*** qui credebant domi-
 no nostro Iesu Christo, non christiani, sed discipuli
 tantummodo nominabantur. Et quia multi nouo-*
 rum

* in *meletemat. Leidensibus, de gestis Pauli, sect. III. §. V.*
p. 39.

** in *annalib. ad annum XLIII. num. XII.*

*** *dialogorum lib. I. tom. VIII. bibliothecae maximae pa-
 trum, p. m. 747.*

rum dogmatum auctores extiterunt, doctrinae obuiantes apostolicae, omnes sectatores suos discipulos nominabant: nec erat ulla nominis discretio inter veros falsosque discipulos: cum siue qui Christi, siue qui Dosithei, siue Cephae, siue Theodae, siue Iudae cuiusdam, siue etiam Ioannis sectatores, qui se quasi Christo credere fatebantur, uno discipulorum nomine censerentur. Tunc apostoli conuenientes Antiochiam, sicut eorum (Luca narrante) indicant acta, omnes discipulos, nouo nomine, id est, christianos appellarunt, discernentes eos a communi falsorum discipulorum vocabulo, ut & diuini per Esaiam oraculi sermo impleretur, quo ait: seruientium vero mihi vocabitur nomen nouum. Ita VIGILIVS. Namque ad ATHANASIVM quod attinet, extat quidem inter opera eius, * *disputatio in Nicaeno concilio contra Arium*, quae cum dialogis istis VIGILII aliquam habere videtur conuenientiam, vnde forte adductus CASIMIRVS OVDINVS, ** eam VIGILIO adscripsit: sed GVIL. CAVEO potius figmentum monachi cuiusdam delirantis sequioris aevi, audit, *** & ab ipso ROBERTO

* tom. I. p. III. seqq.

** *supplem.* p. 31.

*** *histor. litterar. scriptor. ecclesiasticor.* p. 104.

BERTO BELLARMINO, ATHANASIO abiudicatur. * Nec etiam eiusmodi quid, cum eam disputationem euoluerem, in ea deprehendi. Sola itaque VIGILII, qui seculo quinto vixit, auctoritas, vt hoc nobis persuadeatur, non sufficit. Accedit, quod illa VIGILII narratio, vel inde falsitatis redargui posse videatur, quod inter eos, a quorum sectatoribus discipulos Christi genuinos discernere voluerint apostoli, Dositheum quoque commemoret, quem apostolorum vixisse aetate, nondum satis euietum esse, nonnulli autumant. Qua de re vt rite pronuntietur, duos inter haeresiarchas veteres commemorari Dositheos, obseruandum: quorum alter non apostolis tantum antiquior est, sed pridem vixit ante Christi seruatoris natiuitatem, & inter Iudaeorum haereticos recenseri solet: alter autem post Christi natiuitatem vixit, & inter primos qui ecclesiam christianam turbauerunt, haereticos, locum suum occupat. De priori loquitur TERTULLIANVS: ** *taceo enim Iudaismi haereticos, Dositheum Samaritanum, qui primus ausus est prophetas, quasi non in spiritu sancto locutos, repudiare. Taceo Sadducaeos, qui ex huius*

erro-

* de scriptoribus ecclesiast. p. m. 58.

** de praescript. cap. XLV.

erroris radice surgentes, ausi sunt ad hanc haeresin etiam resurrectionem carnis negare. Eiusdem mentionem faciunt EPIPHANIVS,* HIERONIMVS,** PHILASTRIVS,*** DAMASCENVS,† aliique. Ad posteriorem quod attinet, inter primos sane, qui haeresibus ecclesiam christianam turbarunt, eum fuisse, dubio caret, idque diserte testatur HEGESIPPVS apud EVSEBIVM.†† Immo HIPPOLTVS, Irenaei discipulus, syntagma suum aduersus XXXII. haereses, teste PHOTIO††† a Dositheanis auspiciatus est. Nihilofecius an ipsorum apostolorum aetate Dositheus errores suos disseminauerit, nonnullis non adeo certum videtur. ORIGENES quidem * hoc indicare videtur, sed dubitanter tamen hac de re loquitur. *Non multi, inquit,*
B 2 *fue-*

* *haeres. XIII.*

** *adu. Lucifer. cap. VIII.*

*** *de haeres. cap. IV.*

† *de haeres. cap. XIII. add. SERARIVS trihaeres. lib. II. cap. XIX. & in Mineruali lib. IV. cap. X. seqq. DRVSIVS de sect. Iud. lib. II. cap. IV. V. VI. SCALIGER, elench. cap. XV. STEPHANVS LE MOYNE, not. ad varia sacra, p. 1099. aliique.*

†† *lib. IV. hist. eccles. cap. XXII.*

††† *cod. CXXI. add. THOMAS ITTIGIVS, de haeresiarchis aevi apostolici, sect. I. cap. I.*

* *homil. in Matth. XXVII.*

fuere homines tempore apostolorum, qui Christi-
 stos se esse dixerint, nisi forte Dositheus Samari-
 tanus, unde & Dositheani dicuntur, & Simon.
 Illud forte documento est, non satis certum hac
 de re fuisse ORIGENEM. Immo alibi * haud ob-
 scure innuere videtur, Dositheanos post aposto-
 lorum demum tempora extitisse. Dositheani ve-
 ro, inquit, nec in principio floruerunt: nunc au-
 tem esse penitus desierunt, ita ut si eorum nume-
 rus explicetur, ne ad triginta quidem accesserint.
 Et hisce quidem, aliisque rationibus inductus
 SAMVEL BASNAGIVS FLOTTEMANVILLEVS, ** Dosithea-
 norum haeresin, nondum natam fuisse conclu-
 dit, cum christianorum nomen oriretur. Falli-
 turque adeo magnopere, si haec ita se habeant,
 VIGILIVS, asserens, discipulis christianorum nomen
 impositum, ut a Dositheanis discernerentur.
 Quidquid tamen huius sit, fuisse apostolorum
 tempore si non Dositheanos, certe Simonianos,
 aliosque haereticos, positum est extra contro-
 versiam. Etsi enim FIRMILIANVS *** Caesareae in
 Cappa-

* *lib. IV. contra Celsum.*

** *in exercitat. historico-crit. anti-Baronianis exercit. VIII.
 ad annum XLIII. p. 424. seqq.*

*** *in epist. ad Cyprianum, quae est inter Cyprianicas, LXXV.*

Cappadocia episcopus, & CLEMENS ALEXANDRI-
 NUS,* aliique hoc abnuere videantur, ex ipsa ta-
 men scriptura sacra, aliisque historiae ecclesiasti-
 cae monumentis, fide dignis, res certa est. Eo
 tamen tempore, quo discipulis christianorum no-
 men est impositum, praeter Simonem magum
 eiusque sectatores, iam alios in ecclesia christia-
 na fuisse haereticos, verosimile non est. Nec
 Simonianorum tantum numerum, aut celebri-
 tatem tantam fuisse existimaverim, ut opus fue-
 rit, peculiari nomine genuinos Christi discipulos
 ab illis distinguere. Immo hoc neutiquam fa-
 ctum vel inde intelligitur, quod omnes haeretici
 veteres itidem christianorum nomen adoptave-
 rint. Vnde omni prorsus fundamento istam vi-
 sili sententiam carere, longe est manifestis-
 simum.

§. VII. Priusquam christianorum nomen
 illis, qui servatoris disciplinam sectabantur, im-
 poneretur, *discipuli* vocabantur. Id quod Lucas
 quoque diserte innuit, *Actor. XI. 26. conf. &*
Actor. VI. 2. 7. IX. 1. 19. 25. 26. Nec infrequens
 hoc apud Iudaeos erat, ut qui magistri cuiusdam

B 3

aut

* *lib. VII. Strom. p. 549.*

aut doctoris disciplinam sequerentur, *discipulo-
rum* nomine venirent. Hinc in veterum huius
gentis scriptorum monumentis saepius comme-
morantur חכמים תלמידי *discipuli sapientum*. *
Quo tamen nomine veniebant omnes sapientiae
studiosi, qui modestiae causa & ad vitandam ar-
rogantiam, non חכמים *sapientes*, sed תלמידי חכמים
discipuli sapientum vocari volebant, plane vt Py-
thagoram non σοφόν sed φιλόσοφον vocari
voluisse, memoriae est proditum. Non tamen o-
mnes istos sapientum discipulos optimae indolis
fuisse, vel inde colligas, quod inter septem illa
capita, quae R. AKIBHA filio suo commendavit, hoc
quoque fuit: בעיר שראשה תלמידי חכמים אל תדור
*ne habites in urbe, cuius caput sunt discipuli sa-
pientum*. ** Quidquid huius sit, de Christi ser-
uatoris discipulis ita vt statuamus par est, hocce
illis iure tribui nomen, quod non tantum aude
eius doctrinam haurirent, & amplecterentur, sed
ad eam quoque pariter ac magistri exemplum
vitam moresque suos componerent. Et ita di-
scipu-

* conf. IO. BVXTORFIVS in *Lexico Talmud. Rabbin.* p. 1146.
add. IO. LIGHTFOOTVS, in *horis Ebr. in Matth. cap. III.*
7. p. m. 271.

** conf. IO. BVXTORFIVS, l. c.

scipulos quoque suos seruator vocare solebat, vt exemplo Philippi patet, ad quem dixit : ἀκολούθει μοι, *sequere me, Ioan. I. 43.* Quibus verbis summam, quid ad discipulum Christi requiratur, comprehenditur : sequela scilicet atque imitatio eius. Quod ipse pluribus explicat seruator, *Luc. XIV. 26. 27. si quis ad me venit, nec suum patrem & matrem, & uxorem, & liberos, & fratres, & sorores, atque adeo suam ipsius animam odit, non potest meus esse discipulus. Et qui non portat suam crucem, & me sequitur, non potest meus esse discipulus.* Vnde & Petrus ad Christum dixit : *en ! nos reliquimus omnia, teque secuti sumus. Matth. XIX. 27.* Hic namque verus genuinorum Christi discipulorum character est, si eius non tantum amplectantur doctrinam, & sequantur exemplum, sed ei ita amore sincero adhaereant, vt eius causa omnia deserere parati sint. Quae omnia ex fide etiam vera in Christum fluunt, qua discipulos genuinos Christi praeditos esse supponitur. Ideoque & qui deinceps christiani dicti sunt, etiam πιστεύοντες, seu πιστεύοντες εἰς τὸν Χριστὸν, audiebant, idque tam ante christiani nominis ortum, *Actor. II. 44.*

IV.

IV. 32. V. 14. quam postea, *Actor. XVII. 34. XXI. 20.* alibique.

§. VIII. Sed *fratrum* quoque nomine veniebant, saltem eo, ut & *sorum*, tum antequam christianorum nomen oriretur, tum postea, se invicem salutabant. Eaque appellatio ab ipso Christo, originem traxit, & maxime ab apostolis fuit usurpata. Sic enim ad discipulos servator: *omnes vos fratres estis, Matth. XXIII. 8.* Et cum a mortuis resurrexisset, ad Mariam Magdalenam: *sed adi fratres meos, eisque dicit, adscensurum me ad patrem &c. Ioan. XX. 17.* conf. & *I. Cor. V. 11. VI. 6.* Unde & ipsum *fraternitatis* seu *fraterni amoris* nomen saepius in epistolis apostolicis occurrit, *Rom. XII. 10. I. Thessal. IV. 9. Ebr. XIII. 1. II. Petr. I. 7.* alibique. Denominationis autem istius ratio in aprico posita est. Qui enim communem habent patrem Deum, *Rom. VIII. 15. Gal. IV. 6. Matth. VI. 9.* matremque communem, ecclesiam, *Gal. IV. 26.* communem quoque generationem, non ex carne, sed ex spiritu, *Ioan. III. 6.* quive ex vno eodemque semine geniti sunt, ex incorruptibili scilicet verbo Dei, *Iacob. I. 18. I. Petr. I. 23.* illi iure meritoque fratres inter se censentur.

sentur.* Diu etiam fratrum nomen in ecclesia permansit, etsi gentiles occasionem hinc arriperent calumnias atrocissimas in christianos euomendi. Ex sua scilicet consuetudine christianos aestimabant impuri homines: cumque fratris & sororis adpellationibus, ad tegenda stupra & libidines passim abuterentur, christianis, fratres & sorores se inuicem adpellitantibus, incestus foedissimos, & oedipodeos concubitus exprobrabant. Qui ergo christianorum causam editis apologiis agebant, ut hocce crimen a se amolirentur, docebant, quo sensu fratres sororesue adpellitarentur. HINC TERTULLIANVS: ** *sed & quod fratres nos vocamus, non alias opinor infamant, quam quod apud ipsos omne sanguinis nomen, de affectatione simulatum est. Fratres autem etiam vestri sumus, iure naturae matris unius, etsi vos parum homines, quia mali fratres. At quanto dignius fratres & dicuntur & habentur, qui unum patrem Deum agnouerunt, qui unum spiritum biberunt sanctitatis, qui de uno utero ignorantiae,*

C eius-

* CONF. GABRIEL ALBASPINAEVUS, lib. I. obseruat. XIX. & IO. ANDREAS QTENSTEDIVS, in antiquitat. biblic. & ecclesiast. cap. XIV. n. 1. add. GOTHOFREDI ARNOLDI historia cognat. spirit. inter christianos receptae.

** in apologet. cap. XXXIX.

eiusdem ad unam lucem expauerunt veritatis. Similia habent HIERONIMVS, * LACTANTIUS, ** BASILIVS MAGNVS, *** AMBROSIVS, † aliique.

§. IX. Occurrunt ceteroquin & alia nomina, quibus olim christianos insignitos fuisse legimus, quae expendere paulisper atque considerare iuuabit. Huc nonnulli referunt nomen *Nazaraeorum*, vel quod idem est *Nazarenorum*. Quod tamen vel ex hoc capite dubium alicui videri possit, quod Nazaraei inter haereticos potius a veteribus referantur. Praeter EPIPHANIVM †† enim, AVGVSTINVS, ††† THEODORETVS, * & alii quidam, eos inter haereticos collocant. Et AVGVSTINVS quidem, errorem illorum capitalem, paucis exprimit, dum *Nazaraei*, inquit, *cum Dei filium confiteantur esse Christum, omnia tamen veteris legis observant, quae christiani per apostolicam traditionem non observare carnaliter, sed spiritualiter*

* *advers. Heluidium, cap. VIII.*

** *institution. diuinar. lib. V. cap. VI.*

*** *homil. XXI. in Lazaris habitis.*

† *de Abrahamo, lib. II. cap. VI. add. CHRISTIANVS KORT-HOLTVS, in pagano obrectatore, lib. III. cap. IX. p. 590. seqq.*

†† *haeres. XXIX.*

††† *de haeresib. cap. IX.*

* *haeret. fab. lib. II. cap. II.*

ter intelligere didicerunt. In eo ergo error praecipuus illorum consistebat, quod legis iudaicae observationem necessariam crederent. EPIPHANIVS autem plures adhuc errores addit, cuius tamen vel ideo in hocce capite non magna apud nos est auctoritas, quod ipsemet haud diffiteatur, sibi non explorata satis fuisse, quae de Nazaraeorum haeresi traderet. Postquam enim dixerat, a christianis in eo saltem illos differre, quod iudaicis ritibus fuerint implicati, addit: *περὶ Χριστοῦ δὲ οὐκ οἶδα εἰπεῖν, εἰ καὶ αὐτοὶ τῆ τῶν προσηρημένων περὶ κήρυκτον καὶ μήκρυκτον μοχθηρία ἀχθέντες ψιλὸν ἄνθρωπον νομίζουσιν. ἢ καθὼς ἡ ἀλήθεια ἔχει, διὰ πνεύματος ἁγίου γεγεννηθῆσαι ἐν μαρίας διαβεβαίοντα.* De Christo vero, certo illud affirmare nequeo, utrum Cerinthi vel Merinthi illa impietate decepti, simplicem illum hominem asseuerent, an, uti sese res habet, per spiritum sanctum de Maria virgine genitum esse fateantur. Et licet THEODORETVS quoque,* Nazaraeos Christum tanquam hominem iustum honorasse scribat, PETRŌ DANIELI HVETIO** tamen haud sine ratione,

C 2

tione,

* l. c.

** in notis ad exegetica Origenis, p. 74.

tionem, potior videtur sententia IRENAEI, qui inter haereses Nazaraeorum dogmata non recenset, & PHILASTRII, qui nullam iis super generatione Christi crimen, obiicit, & AVGVSTINI, qui itidem nullam huius rei mentionem facit. Immo alii vltcrius progrediuntur, & Nazaraeos in haereticorum referendos esse numerum prorsus abnuunt.

§. X. Non procul ab hac sententia abesse videtur RICHARDVS SIMONIUS,* dum Iudaeos, qui fidem christianam amplexi erant, hocce nomine adpellatos, autumat, ex quibus deinceps prodierint Ebionitae. Quae quidem eum in finem ab illo adferuntur, vt euincat, euangelium illud ebraicum, quo vsi sunt Nazaraei, reuera idem fuisse cum euangelio Matthaei. Ebionitas enim illud corrupisse contendit, quod integrum seruaerint Nazaraei. Qua in re consentientem sibi quodammodo habet, LVDOVICVM ELIAM DV FIN,** qui tamen Nazaraeorum sectam a genuinis christianis distinguere videtur, dum illos ex Iudaeis ortos dicit, qui Iudaicae religionis ritus, cum fide chri-

* *hist. crit. noui testam. cap. VII.*

** *dissertat. prelimaire sur la bible, lib. II. cap. II. §. III.*

p. 27.

christiana coniungere in animum induxerunt su-
um. Sed si vel maxime concederentur, quae si-
MONIVS de Nazaraeis prodidit, non tamen statim
inde sequeretur, euangelium, quo olim Nazaraei
vsi sunt, vnum idemque fuisse, cum euangelio
Matthaei. Quod enim haecce euangelia diffe-
rant, aperte constat ex fragmentis, quae ex vete-
ribus diligenter collecta exhibet V. C. IO. ALBERTVS
FABRICIVS. *

§. XI. Maiori adhuc, quam reliqui omnes
adparatu, Nazaraeorum causam defendendam
suscepit, vir doctissimus IACOBVS RHENFERDIVS. **
Sed non in omnibus calculum meretur. In iis,
quae de illis ex EPIPHANIO retulit, discutiendis, ope-
ram ponere necesse non fuerit, cum antea iam
concesserimus, haec admodum incerta esse.
Quod vero Nazaraei legis Mosaicae observanti-
am, ceu necessariam ad salutem, defenderint,
praeter EPIPHANIVM, & alii veterum tradunt, nec
ipse hoc in dubium vocare audet RHENFERDIVS.
Ut tamen, hoc non obstante, haereticorum nu-
mero eos eximat, in eam ingreditur sententiam,

C 3

nihil

* *cod. apocrypho N. T. p. 355. seqq.*

** *in exercitat. philolog. de sectis Iudaeorum haeresibus, num.
LXIV. seqq.*

nihil eos hoc ipso admisisse, vt inter haereticos ideo fuerint reponendi. *Quid ergo, inquit, in eo non dicam haereseos, sed erroris fuit, quod homines Abrahamo sati, & federis promissionumque ipsi factarum haeredes, illo signo atque sigillo utebantur, quo tot praeclara beneficia olim promissa, & nunc vere praestita, & Abrahamo & posteris eius confirmata voluerat, quod inquam illo sigillo utentes se quoque federis illius socios, & tantorum beneficiorum participes faterentur?* Utque porro remoueat, quae suae obstare sententiae videbantur, leges ceremoniales, Ipeciatim circumcisionem, per nouum testamentum sublatam negat, prouocatque ad exemplum ipsius Pauli, qui Iacobi & presbyterorum, qui Hierosolymis erant, auctoritate adductus, legibus Mosaicis de purificatione praecipientibus, satisfecit, *Actor. XXI. 20. seqq.* Nec ante vincula sua aliter docuisse Paulum contendit, quem & in epistola ad Galatas *cap. V. 2.* contra circumcisionem disputando, ad conuersos ex gentilibus potius, quam ad conuersos ex Iudaeis respicere autumat, recteque contendere, illis legis Mosaicae onus non esse impouendum. Et licet apostolus *I. Cor. VII. 19. & Gal. V. 6. VI. 15.* dicat, circumcisionem nihil esse, eundem tamen

men

men etiam addere, quod praeputium nihil sit. Vnde nihil aliud sequatur, quam ethnicos, qui conuertebantur, non magis ad ritus iudaicos suscipiendos cogi posse, quam Iudaeos ad suscipiendos ritus ethnicorum. Ex quibus omnibus tandem colligit, vt Iudaei initio se difficiles admodum praebuerint, in recipiendis ethnicis, nec alia id facere conditione voluerint, quam vt Moisaicas leges simul reciperent, ita deinceps, cum ob numerum & multitudinem, conuersorum ex ethnicis partes potiores essent, hos paria retulisse paribus, & tolerare illos noluisse, qui ritus & leges iudaicas adhuc sequebantur: indeque factum, vt Nazaraeis haereseos nota, quamuis immerito, iniusta fuerit.

§. XII. Sed haec omnia vt & reliqua, quae vir celeberrimus erudite & ingeniose pro Nazaraeis disseruit, vix omnibus se se probabunt. Capitalis enim vtique erat error, legis Moisaicae obseruantiam ceu necessariam ad salutem urgere, quod luculenter ipsemet ostendit Paulus. Grauis-
sima sunt eius verba, quibus Galatas alloquitur:
en ego Paulus vobis dico, si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Hoc enim confirmo omni homini, qui circumciditur, eum debere toti
pare-

parere legi. Nihil rei vobis cum Christo est, qui in lege positam habetis iustitiam, ex beneficio excidistis, cap. V. 2. 3. 4. Talem itaque errorem de observantia legis Mosaicae ad salutem necessaria, esse iudicat, qui cum fide christiana nullatenus consistere queat. Eundemque in finem, & quavis data occasione, contra pseudo-apostolos, eandem observantiam vrgentes, tam acriter tamque vehementer disputat. conf. *Phil. III. 2. 3. it. 18. 19.* Et sane ista federis gratiae oeconomia, quae nouo testamento propria est, sibi non constaret, si legibus Mosaicis standum iis esset, qui per Christum ab hocce iugo sunt liberati. Interim cum sensim veteris testamenti haecce oeconomia desineret, & legis Mosaicae observantia abrogari deberet, mirum non est, quod in gratiam infirmorum initio aut fecerint, aut tolerauerint apostoli, quae cessantibus caussis, istam tolerantiam aut suadentibus, aut postulantibus, non amplius facienda aut toleranda erant. Eam itaque ob causam, & Paulus ne scandalum infirmis praebere, eo tempore legibus Mosaicis se attemperavit, idque prudentissime. Sed quod in gratiam infirmorum fecit, non eo statim trahendum, ac si illorum quoque probauerit sententiam, qui non

non

non tam tolerantiam, quam obseruantiam legis Mosaicae, idque eo etiam tempore, quo causae tolerantiam exigentes cessabant, exigebant. Secus enim se rem habere, ex omnibus fere magni istius apostoli epistolis liquet. Neque tantum dicit, circumcisionem nihil esse, aequae ac praeputium nihil sit, *I. Cor. VII. 19.* in Christo nec circumcisionem nec praeputium quidquam valere, *Gal. V. 6. VI. 15.* sed diserte quoque pronuntiat: *si circumcidamini Christus vobis nihil proderit.* At ad conuersos forte ex gentilibus ista dixit! Non abnuo prorsus: nec tamen euictum, ex gentilibus tantum ecclesiam Galaticam constituisse, & non etiam ex conuersis Iudaeis. Quidquid huius sit, dum diserte docet, obseruantiam legis Mosaicae cum fide in Christum consistere non posse, simul in errore capitali illos versari innuit, qui eius necessitatem urgent, siue ex Iudaeis fuerint, siue ex gentilibus. Nec obstat, quod circumcisionem nihil esse dicat, aequae ac praeputium nihil sit. Quemadmodum enim recte hinc colligitur, Iudaeos non magis ad inducendum praeputium adduci debere, quam gentiles ad suscipiendam circumcisionem, legisque Mosaicae obseruantiam: ita simul & hoc inde sequitur, in grauissi-

D

mo

mo errore versatos, qui circumcisionis & Mosai-
caae legis obseruantiam ad salutem necessariam
duxerint, pariter ac illos, qui praeputium ad salu-
tem necessarium, existimauerint. Ceterum, non
recte egisse Iudaeos, qui se in recipiendis gentili-
bus nimis difficiles praebuerunt, lubens fateor:
sed fieri quoque potuit, vt quandoque conuersi
ex gentilibus alieniori animo essent, a conuersis
ex Iudaeis: sed inde non sequitur, Nazaraeis ini-
que haereseos notam esse iniustam. Luculentiori-
bus enim hoc comprobari debebat argumentis.

§. XIII. Omnia itaque ea, quae haectenus
dicta sunt, accuratius mecum expendens, in eam
prorsus ingredior sententiam, Nazaraeorum no-
men primo omnibus impositum fuisse christia-
nis, deinde, illis solis haesisse, qui ritus Mosai-
cos cum fide christiana coniungebant, qui cum ini-
tio stante adhuc republica iudaica tolerarentur,
deinceps ob pertinaciam, & quod Mosai-
carum legum obseruantiam ad salutem necessariam es-
se, contenderent, haud immerito in haereticorum
relati sunt numerum. Quod omnibus olim chri-
stianis nomen Nazaraeorum datum sit, luculen-
ter patet ex *Actor. XXIV. 5.* Causaque eius rei
in promptu est, quod ipse seruator tum a loco, in
quo

quo parentes eius habitabant , tum ob rationes
 sublimiores , etsi infidelibus non perspectas, Na-
 zarenus audiret, *Matth. II. 23.* Confirmatque
 id ipse EPIPHANIUS, * asserens: καὶ πάντες δὲ χρι-
 στιανοὶ Ναζωραῖοι τότε ὡσάντως ἐκαλεῖτο,
*siquidem christiani tum omnes Nazaraei voca-
 bantur.* Quod quidem nomen licet ad contu-
 meliam christianis ab illorum inimicis impone-
 retur, ipsi tamen christiani merito admodum ho-
 norificum sibi esse existimabant , ab eo quippe
 profectum, quocum omnia communia habere,
 maximae felicitatis partem merito interpreta-
 bantur. Sed quod deinceps illis speciatim hae-
 serit, qui ex Iudaeis orti, iudaicorum rituum ob-
 servantiam ad salutem necessariam contende-
 bant, ex dictis est longe manifestissimum. Idque
 haud obscure ex ipso EPIPHANIO colligas. Cum
 enim diserte docuisset , Nazaraeorum no-
 men omnibus olim christianis fuisse commu-
 ne , quod proprium deinceps haereticis , qui
 eodem veniunt , factum sit, quo id potissi-
 mum loco & tempore contigerit , ita exponit:

D 2

ἔ56

* *l. c. n. I. p. 117.* luculentius adhuc idem profitetur,
num. VI. p. 421.

ἔστι δὲ αὐτὴ ἢ αἰρεσις ἢ Ναζωραίων, ἐν τῇ Βερο-
 αίων περὶ τὴν κοίλην Συρίαν, ἢ ἐν τῇ δεκαπό-
 λει περὶ τὰ τῆς πέλλης μέρη, καὶ ἐν τῇ Βασα-
 νίτιδι τῇ λεγομένῃ Κωκάβη, Χωχάβη δὲ ἑβραι-
 σὶ λεγομένη. Εκείθεν γὰρ ἡ δόχῃ γέγονε μετὰ τῶν
 ἀπὸ τῶν Ἱεροσολύμων μετὰστασιν, πάντων τῶν μα-
 θητῶν τῶν ἐν πέλλῃ ὠκηκότων, Χριστὸς φήσας
 καταλείψαι τὰ Ἱεροσόλυμα, καὶ ἀναχωρῆσαι,
 ἐπειδὴ ἤμελλε πάχειν πολιορκίαν; *ceterum haec
 Nazaraeorum secta in Beroensi ciuitate potissi-
 mum viget, circa Coelosyriam, atque in Decapoli
 iuxta Pellam, & in Basanitide, in ea, quae vulgo
 Cocabe, ebraice Chochabe dicitur. Hinc enim post
 illam ab Hierosolymis secessionem, illorum initia
 profecta sunt, cum Pellae discipuli omnes habita-
 rent, a Christo de relinquenda Hierosolymorum
 urbe, migrandoque praemoniti, quod eius immi-
 neret obsidio. Atque hac quidem ratione, cum
 conciliari facile inter se possint, quae veteres de
 Nazaraeis dicunt, non est, cur de veritate huius
 sententiae dubitemus.*

§. XIV. Dum de Nazaraeis verba facit
 EPIPHANIVS, simul indicat, seruatoris discipulos
 Iesaeos dictos fuisse, priusquam christianorum
 nomen

nomen illis imponeretur. Γέγονε δὲ, inquit, ἐπὶ ὀλίγῳ χρόνῳ, καλεῖσθαι αὐτοὺς Ἰεσσαίους, πρὶν ἢ ἐπὶ τῆς Ἀντιοχείας δεξὴν λάβωσιν οἱ μαθηταὶ καλεῖσθαι χριστιανοί. *Quaerquam pro exiguo tempore, Iessaeorum penes illos nomen resedit, antequam christiani Antiochiae nominari coeperint. Iessaeos autem a Iesse illos adpellatos opinatur, idque ideo quod David filius fuerit Iesse, a Davide autem originem duxerit Maria, domini mater, cuius discipulis hocce impositum nomen fuerit. Sed cum non satis sibi ipsi hac in re credat EPIPHANIVS, interiectis nonnullis, alias denominationis istius rationes adferre adnititur. Nescio an felici satis successu. Aut igitur, inquit, ab illo Iesse, Davidis patre, aut a Iesu Christi domini nostri adpellatione, Iessaeorum nomen, obtinuerunt, quod ab Iesu disciplina profecti, eiusdemque discipuli forent; aut illud denique ex notatione ipsa nominis, quo dominus vocatus est, originem accepit. Ἰησοῦς γὰρ κατὰ τὴν ἑβραϊκὴν διάλεκτον θεραπευτῆς καλεῖται, ἥτοι ἰατρὸς ἔστωλης. Iesus enim ebraice curatorem, h. e. medicum, ac servatorem significat. Non vnum in hisce EPIPHANII verbis errorem iampridem deprehendunt,*

runt, viri eruditi. Immo nihil fere non dicit, quod non ab omni prorsus abhorreat verosimilitudine. Christianos olim a Iesse Davidis patre, Iesaeos dictos esse, quis sibi persuadeat? Quam causam, aut occasionem tam longe petitaee denominationis adferre potest? Quam vero ipse hac in re haesitat fluctuatque EPIPHANIVS? Hinc mox a Iesu ipso, Iesaeos adpellatos putat. Perperam quidem, cum ita Iesaei potius, quam Iesaei dicendi fuissent. Ne dicam quod suam haud obscure prodat imperitiam, cum vocem, Ἰησῆς idem significare dicit ac θεραπευτήν, plane ac si a Graeco verbo ἰάσασθαι, siue ἰήσασθαι ionice concepto, deriuanda esset. Addit equidem, καὶ τὴν ἑβραϊκὴν διάλεκτον, Ἰησῆν idem esse ac θεραπευτήν: sed non aliud inde colligas, quam ipsum non satis sciuisse aut intellexisse, quid scriberet. Defendere equidem EPIPHANIVM conatur DIONYSIVS PETAVIVS, * vir doctissimus, sed ipse tandem fateri cogitur, haec minime ἀκριβῶς ab illo dicta esse. *Quamobrem, inquit, non secundum ἀκριβολογίαν & κυριολεξίαν ebraica vox (ישוע) θερα-*

* in animadversionib. in Eiphan. ad haeres. XXIX. pag. 52.

θεραπείων sonat, sed μετὰ ληπτικῶς, ut & Iesum,
qui proprie saluator est, medicum ac curatorem,
non incommode interpretari liceat. Eiusmodi
 scilicet quid excogitandum erat, ut auctoritati
 EPIPHANII consuleretur. Sed, si dicendum quod
 res est, tota eius narratio christianos olim Iessae-
 os dictos, omni prorsus mihi destitui videtur fun-
 damento. Ecquis enim veterum, praeter solum
 EPIPHANIVM, hoc memoriae prodidit? *Neque enim*
opinor, ipse inquit PETAVIVS, usquam legitur, Ies-
saeorum nomen christianis attributum. Erroris
 autem haudquaquam excusandi, origo inde, quod
 Iessaeos cum Essaeis confuderit bonus ille EPIPHA-
 NIVS, & hos pro christianis habuerit. Hoc ipsa
 eius, quae subiicit, verba aperte indicant, in qui-
 bus ad PHILONIS commentarios lectores ablegat,
 & quidem ad librum eius quem περὶ Ἰεσαίων
 de Iessaeis, inscripserit. At de Essaeis, non de Ies-
 saeis PHILONEM scripsisse constat, & Essaeos rursus
 cum therapeutis haud obscure confundere vide-
 tur EPIPHANIVS.

§. XV. Qua de re ut eo rectius constet,
 iuvat celebrem illam de therapeutis PHILONIS, va-
 riisque eruditorum scriptis agitatum quaestio-
 nem, paucis attingere. Idque eo magis, quod
 ab

ab instituto nostro hoc neutiquam alienum sit. Per therapeutas illos christianos designari, praeter EPIPHANIVM, eos cum Essenis confundentem, asseruit quoque EVSEBIVS, qui apostolicos viros hoc nomine designari contendit, ex Ebraeis oriundos, eamque ob causam iudaicos ritus atque instituta tunc temporis, magna ex parte seruantes. * In eadem & alii ex veteribus versantur opinione, quae tamen nonnullis recentiorum minime visa est probabilis. Hinc IOSEPHVS SCALIGER ** in eam ingressus est sententiam, therapeutas & therapeutridas Philonis, non alios esse quam Essenos Iudaeorum. HENRICVS VALESIVS, eos Essenos fuisse negat, idque luculenter euincit contra SCALIGERVM, *** quocum tamen in eo consentit, quod non fuerint christiani. EVSEBII tamen aliorumque veterum, therapeutas pro christianis habentium sententiam defendendam suscepit THOMAS BRVNO, canonicus Windsoriensis, in dissertatione de therapeutis Philonis, aduersus HENRICVM VALESIVM, quam CLEMENTIS ROMANI duabus

* *hist. eccles. lib II. cap. XVII.*

** *de emendat. temp. lib VI. p. 539. it. ad Eusebii chronicon, p. 14. & in trihaeresio, cap. XXIX.*

*** *in annotationib. ad Eusebii, l. c. p. 34.*

bus ad Corinthos epistolis, a se editis, subiecit
 PAVLVS COLOMESIVS. * BRVNONEM praeter GVIL. BEVE-
 REGIVM, ** ISAACVM VOSSIVM, *** TILLEMOMTIVM, †
 aliosque, secutus est, & maiori adparatu idem
 egit, vir quidam doctus, qui haud ita pridem PHI-
 LONIS librum de vita contemplatiua in linguam
 Gallicanam transtulit, obseruationibusque il-
 lustrauit. †† Et offerunt sane se in vtramque
 partem, rationes, vt difficile videatur, alte-
 rutri sententiae accedere. Nonnulla prorsus
 in christianos quadrant, speciatim illud, quod
 abiecta rerum huius seculi cura, diuinarum
 rerum tractatione fuerint occupati, quod sa-
 cra volumina legerint, canticis sacris atque
 hymnis laudes diuinas celebrantes, quod in
 variis regionibus id hominum genus sparsum
 reperiatur, quod Graeci pariter & barba-
 ri in societatis istius communionem recipian-
 tur,

E

tur,

* Londini M DC LXXXVII. 8.

** in codice canonum vindicato, p. 374. seqq.

*** variar. obseruation. p. 46.

† memoires pour seruir a l'histoire ecclesiastique, tom. II.
 part. I. p 167.

†† Titulus libri est: le liure de Philon de la vie contem-
 platiue, traduit sur l'original Grec, ou l'on fait voir
 que les therapeutes dont il parle estoient Chretiens; Pa-
 risis M DCC IX. 8.

tur, & quae alia sunt eiusdem generis. Nec ob-
 stare videtur, quod non christianorum, sed thera-
 peutarum, nomine PHILO eos insigniat. Hoc
 enim, si EVSEBIO credimus, inde fieri potuit, quod
 reuera therapeutae quoque dicti sint, cum chri-
 stianorum nomen nondum vb'ique diffusum &
 peruulgatum esset, vel, vt alii putant, quod PHI-
 LO data opera obscurius de illis loqui voluerit,
 communi ideo therapeutarum, hoc est, cultorum
 seu seruorum Dei, nomine illos designans. Ve-
 rum quantumuis haec aliaue, non sine specie
 quadam, pro veterum sententia dicantur, longe
 plura tamen eidem videntur obstare. Talia e-
 nim de illis etiam prodit PHILO, quae nullatenus
 in christianos quadrant. Vt enim alia taceam,
 auctor est PHILO, habuisse therapeutas, scripta ve-
 terum quorundam suae sectae auctorum, qui le-
 gem allegorice exposuissent. Quaeenam vero il-
 la scripta? Num prophetarum libri? At hos ab
 illis diserte separat PHILO. Num euangelistarum
 & apostolorum? Sed horum libri vix scripti erant
 PHILONIS aetate; vnde dici non potuit, eos ha-
 buisse συγγράματα παλαιῶν ἀνδρῶν. Atque
 hoc recte, praeter alia quoque vrget HENRICVS VA-
 LESIVS. Frustraque, hinc se expedire annititur, au-
 ctor

Et or antea laudatus , qui PHILONIS librum in lin-
 guam Gallicam transtulit , contendendo, vocem
 παλαιός ad eos etiam, qui eadem aut paulo ante
 eandem, qua PHILO floruit, aetatem vixerunt; hoc
 enim facilius dicitur , quam probatur. Sacrae
 equidem mensae , quae apud therapeutas in usu
 fuerit , mentionem facit PHILO : quod iterum in
 christianos quadrare videtur. Sed in mensa illa
 panem cum hyssopo & sale , adpositum fuisse
 addit. Quenam autem inter haec & euchi-
 stiam sacram convenientia ? Sed mitto reliqua.
 Cum enim longe plura in hacce PHILONIS narra-
 tione occurrant, quae in Iudaeos, quam in chri-
 stianos quadrant, de illis potius aut certa eorum
 secta , ab Essenis tamen vt videtur , distincta,
 quam de his eum loqui , valde est verosimile.
 Et haecce , vt iam olim PHOTIO, * ita recentiori
 aetate praestantissimis viris se adprobavit senten-
 tia, qui post HENRICVM VALESIVM , in eam ingressi
 sunt, vt DAVIDI BLONDELLO, ** GVIL. CAVEO, ***

E 2

MAR-

* *cod. CIV.*

** *lib. I. de Sibyllis, cap. VII.*

*** *in antiquit. apostol. in vita Marci euangelistae,*
 §. III.

MARTINO HANCKIO, * IO. ALBERTO FABRICIO, ** viro
longe doctissimo, aliisque.

§. XVI. Priusquam ad alia proueamur, de
voce *therapeutae* adhuc aliquid addere liceat.
Ea enim, si innuatur, qui Deum colit, quod chri-
stianis tribui potuerit, dubio caret. Cum vero
& medicum significet, an hac quoque ratione
christianis tribui potuerit? haud immerito quae-
ritur. EVSEBIUS, *** quo pacto in vtraque signifi-
catione, christianis conueniat, ostendere anniti-
tur, & in posteriori quidem, quod tanquam me-
dici quidam, animos eorum, qui ad ipsos acces-
serunt, vitiosis adfectibus liberatos curarent.
Quod annon paulo longius petitum sit, aliis di-
iudicandum relinquo. Interim haecce EVSEBII
verba, in memoriam mihi reuocant locum sin-
gularem, qui in ADRIANI imperatoris epistola extat
apud FLAVIUM VOPISCVM. † *Nemo, inquit ADRIA-
NVS, illic (in Aegypto) archisynagogus Iudaeorum,
nemo Samarites, nemo christianorum presbyter,
non mathematicus, non aruspex, non aliptes.*
Quae

* de scriptoribus rer. Roman. lib. IV. pag. 86. seqq.

** bibliothecae Graecae, lib. IV. cap. IV. p. 113.

*** l. c. p. 54.

† in Saturnino, cap. VIII. p. 721.

Quae a nonnullis ita intelliguntur, ac si christianorum presbyteri etiam fuerint aiptae, hoc est medici. Ita enim ipse FLAVIVS VOPISCVS antea vocem explicauerat. Hinc STEPHANVS LE MOTNE,* ad locum huncce illustrandam obseruat, Samaritanos forte aruspicinam excolere creditos fuisse, vt Iudaei mathesi & astrologiae admodum dediti fuerint, cum fatum agnoscerent, & in hominum voluntatem vim fiderum admitterent, christianorum vero presbyteros, quod vnctionibus vacarent, eodem iure imperatorem, illos aiptas esse memorauisse. Reuera enim vnctionem apud illos fuisse frequentissimam, & miracula, quae ad vnctionem patrabantur, maximam illis apud omnes famam conciliaffe. Quod TERTVLIANI testimonio comprobatur. Et sane non infrequentes fuisse in primitiua ecclesia vnctiones aegrotorum, constat. Quae cum inter singularia humanitatis officia referrentur, a presbyteris quandoque administrabantur, qui vt pauperum, ita & aegrotorum curam gerebant. Quod enim in ecclesia Hierosolymitana diaconis commissum erat, id alibi a presbyteris quibusdam quando-

E 3

que

* in notis & obseruationibus ad varia sacra, speciatim ad epistolam Polycarpi, pag. 38.

que peractum fuisse, valde mihi fit verosimile. Hinc Iacobus: *si aliquis inter vos sit infirmus, aduocet presbyteros, hoc est, vt nonnulli volunt, vnum ex presbyteris, qui pro illo orent, & illum unguant oleo; cap. V. 14.* Vnde, quod ὡς ἐν παροῶν notamus, magnopere falluntur Romanenses, qui sacramentum extremae vnctionis hinc exsculpere annituntur. Loquitur enim apostolus de tali officio, quod aegrotis recuperandae sanitatis causa praestabatur. An vero ADRIANVS imperator, apud FL. VOPISCVM huc respexerit, quod contendit STEPHANVS LE MOTNE, valde dubito. Immo si verba imperatoris accuratius consideremus, eorum sensum minime affecutum esse virum doctissimum deprehendemus, quanquam praecuntem sibi habuerit ISAACVM CASAVBONVM. Et hunc quidem iam notauit CLAVDIVS SALMASIVS,* cuius verba cum & STEPHANI LE MOTNE errorem detegant, adferemus: *Nec huius loci mentem cepit eruditissimus Casaubonus. Putauit hoc dicere Hadrianum, nullum esse in Aegypto Iudaeorum archisynagogum, nullum Samariten, nullum christiano- rum presbyterum, quin simul etiam fuerit mathe-*
mati-

* in notis ad Fl. Vopisci Saturninum, p. m. 720.

maticus, aruspex, & aliptes. At id scimus, quam longe sit ab auctoris mente, & huius loci sensu alienum. Hoc enim voluit dicere Hadrianus: nullam esse in Aegypto religionem, plures autem esse, nullam artem aut professionem, quae non Serapin colat. Ab omnibus igitur eum adorari, quamuis diuersae religionis hominibus. Omnium etiam artium professores eidem deuotos esse. Illic, inquit, qui Serapin colunt, christiani sunt, & deuoti sunt Serapi, qui se Christi episcopos dicunt; nemo illic archi-synagogus Iudaeorum, nemo Samarites, nemo christianorum presbyter, non mathematicus, non aruspex, non aliptes, *QUI NON SERAPIN COLAT, scilicet; haec enim verba hoc loco subaudienda sunt.* Hoc sane res ipsa docet. Nec dubium vllum, quin verborum ADRIANI ille sensus sit, quem SALMASIVS expressit.

§. XVII. Superest vt de nomine *Galilaeorum* aliquid addamus, quo itidem christianos veteres insignitos fuisse, constat. Sunt equidem, qui Galilaeos inter Iudaeorum haereticos referunt, quod praeter IVSTINVM* ex mente HEGESIPPI facit EVSEBIVS.** Immo auctor *indiculi haerese-*

* in dialogo cum Tryphone Iudaeo, p. m. 307.

** hist. eccles. lib. IV. cap. XXII. p. m. 143.

refeon, qui tribuitur HIERONIMO, videtur omnino inter christianorum eos referre haereticos. *Galilaei*, inquit, dicunt, *Christum venisse, & docuisse eos, ne dicerent dominum caesarem, neque eius monitis uterentur.* Quibus in verbis vera mixta falsis deprehendere licet. Galilaeos quosdam auctore Iuda Gaulonita vel Galilaeo, contra Romanum imperium insurrexisse, sed perfidiae quoque suae poenas grauissimas dedisse, notum est. *conf. Luc. XIII. 1. 2.* Sed quod Christus eos hoc docuerit, est longe falsissimum. Nec etiam ideo in haereticorum numerum referri merentur, nisi omnium flagitiosorum hominum exemplis idem augendus esset. Unde IUSTINVM pariter ac EYSEBIYM cum HEGESIPPO perperam fecisse palam est, dum Galilaeos Iudaicorum haereticorum ordini adscripserunt. Christianis hocce nomen a IULIANO apostata datum est. Sic apud CRILLVM Alexandrinum * proficitur, ὅτι τῶν Γαλιλαίων ἡ σκευωρία πλάσμα ἐστὶν ἀνθρώπων, ὑπὸ κακῆς γίγας συθετὲν, ἔχουσα μὲν εἶδὲν θεῖον, quod *secta Galilaeorum, humanum sit commentum malitiose confictum, quae nihil diuini habeat.* Eisdem
τῶν

* *lib. II, adu. Iulianum, p. m 39. ex edit. EZECHIELIS SPANHEMIL.*

τῶν Γαλιλαίων τὰς παῖδας vocat apud THEODO-
 RETVM. * Nec dubium, quin ad opprobrium
 & dedecus hocce nomen illis dederit quod
 & Galilaei olim male audirent, & gente Ga-
 lilaeus seruator censeretur, eo quod parentes
 eius Nazarethi habitarent. GREGORIUS autem NA-
 ZIANZENSIS ** hinc colligit, IULIANVM etsi infensis-
 simum christianorum hostem, in ipso christiano-
 rum nomine aliquid boni ac honorifici depre-
 hendisse, quod Christi discipulos, Galilaeos po-
 tius quam christianos dicere maluerit. Cum e-
 nim retulisset, non tantum Galilaeos dixisse, quos
 christianos vocare solebant, sed publica etiam le-
 ge, vt ita appellarentur decreuisse, colligit inde,
 christianorum appellationem honorificentissi-
 mam esse, maximique ad gloriam ponderis,
 quoniam christianis eam extorquere conatus fu-
 erit. Supponere autem GREGORIUS videtur,
 quae & recepta plerorumque est sententia,
 a Iuliano demum hocce nomen christianis esse
 impositum. Mihi autem iam pridem ante Iuliani
 F. IULIANI TEM-

* *lib. III. hist. eccles. cap. VII. conf. & lib. II. cap. XXI.*
 add. RUFINVS, *lib. I. cap. XXXV.* SOZOMENVS, *lib. V.*
cap. IV. GREGORIUS NAZIANZENSIS, *in uictiv. in*
Iulian.

** *l. c.*

tempora christianis illud haesisse ; admodum fit verosimile. Non equidem prouocabo ad concilium Antiochenum , quod ab ipsis apostolis celebratum a nonnullis perhibetur , & in cuius canone primo decernitur : *ut credentes in Iesum, quos illius temporis homines vocabant Galilaeos, christiani vocarentur*, cum illud ceu spurium atque confictum iam pridem a viris doctis reiectum sit, ac repudiatum. Nec desunt , qui ex ipso hocce canone argumentum capiunt , quo probent, illud ceu genuinum admitti non posse. NATALIS ALEXANDER, vt euincat, canones huius concilii non esse genuinos, plurima falsa & absurda eos continere adserit, atque id inde porro probat, quod in canone primo dicatur, credentes in Iesum, priusquam christiani dicerentur, Galilaeos fuisse vocatos.* *At, inquit, ex historia ecclesiastica constat, Galilaeorum nomen christianis non ecclesiae initio, sed medio quarto seculo, sub Iuliano apostata fuisse impositum.* Verum si non aliae adessent rationes, concilii huius veritatem in dubium vocandi, haec profecto rem minime

con-

* *bist. eccles. sec. I dissert. XX. p. 212. add. CHAMIER, parat. cathol. lib. XXII. cap. I. n. 6. & 10. DALLAEVS, de pseudepigraphis apostolicis, p. 717.*

conficeret. Quid enim obstat, quo minus Christi discipuli olim Galilaei dicti sint, cum & ipse pro Galilaeo haberetur, & ex primis eius discipulis, plurimi ex Galilaea essent oriundi? Idque eo magis, quod Christus ipse subinde Galilaei nomine veniret. Hinc IUSTINVS martyr auctor est, * Iudaeos legatos in omnem terram misisse, qui renuntiarent, ὅτι αἰρεσίς ἡς ἀθεῖται ἡ ἀνομία ἐγήγευται ἀπὸ Ἰησοῦ Ἰουδαίου Γαλιλαίου πλάνα, *haeresin & sectam quandam impiam & iniquiam excitatam esse a Iesu quodam Galilaeo, plano & seductore.* Sed ipsos quoque christianos Galilaeos dictos, prius quam christianorum nomen acciperent, testatur IOAN. ANTIOCHENSIS MALALA, ** adserens, discipulos Antiochiae ab EVODIO episcopo christianos dictos, cum antea Galilaei & Nazaraei vocarentur: πρῶτον γὰρ Ναζωραῖοι ἐκαλεῖτο καὶ Γαλιλαῖοι οἱ χριστιανοί; *antea enim christiani, Nazaraei vocabantur atque Galilaei.* Sed luculentum quoque est testimonium TIBERIANI, qui tempore Traiani in Palaestina prima, praesidis munere functus est, apud SY-

F 2

DAM:

* in dialogo cum Tryphone Iudaeo, p. 335.

** in chronico, part. I. p. 318.

DAM: * ἀπέκαμον ἡμωρέμεν Ἐ φονδύων τὰς
Γαλιλαίους, τὰς τῆ δόγμα Ἰῶν λεγομένων
χεισνανῶν, *defatigatus sum puniendo, Ἐ neci
tradendo Galilaeos, qui nobis veniunt sub nomine
christianorum.* Taceo, quod ARRIANVS christia-
nos sub nomine Galilaeorum perstrinxerit. **
Quid autem multis hic opus est verbis? Phari-
saei ipsi apud Ioannem *cap. VII. 52.* ad Nicode-
mum: *an tu quoque e Galilaea es? perscrutare
Ἐ videbis, nullum ex Galilaea extitisse vatem.*
Quae omnia, si recte expendantur, palam fiet, non
Iuliani demum aetate, sed statim ab initio Chri-
sti discipulis nomen Galilaeorum datum fuisse.

§. XVIII. Ut autem nomen Galilaeorum
& Nazaraeorum a Iudaeis christianis datum,
ita ab ethnicis contra cum ipsis Iudaeis confun-
debantur. Saltem pro *propinquis Iudaicae re-
ligionis* habebantur, ut loquitur TERTULLIANVS, ***
aut ut LACTANTIUS † auctor est, *successores ac po-
steri Iudaeorum* credebantur, Iudaei autem *chri-
stiano-*

* VOC. Traianus, add. WILHELMVS ERNESTVS TENZELIVS,
in colloqu. mensr. an. MDC LXXXIV. p. 905.

** *lib. IV. dissert. in Epictetum, cap. VII.*

*** *in apologetico, cap. XVI.*

† *lib. V. diu. institut. cap. XXII.*

stianorum patres & maiores. Hinc cum Claudius imperator, edicto Iudaeos Roma exesse iuberet, quin eodem christiani quoque comprehensi fuerint, non est dubium. Ideoque & Aquila ac Priscilla, Romam relinquere coacti sunt, *Actor. XVIII. 2.* quos tamen christianos fuisse constat. *conf. Rom. XVI. 3.* Quod si ad solos Iudaeos pertinuisset edictum Claudii, nulla causa erat, cur Roma excederent christiani. Confirmatque idem C. SVETONIUS TRANQVILLVS, de Claudio verba faciens: * *Iudaeos impulsore Chresto (id est, Christo) assidue tumultuantes, Roma expulit. Vbi plerique per Chrestum, Iesum Christum dominum nostrum intelligunt, quem a gentilibus, siue ex ignorantia, siue ex malitia, scilicet κατ' ἀντίφρασιν, Chrestum appellatum existimant. Facileque fieri potuit, vt Romani ex Christo Chrestum facerent, non tantum ob permutationem vocalium e & i; sed & quod Chresti nomen apud illos non adeo inusitatum esset, obseruante GIBERTO CVPERO. *** Quod si ergo vera edicti causa fuit, quam SVETONIUS commemorat, de doctrina forte de Christo,

F 3 sto,

* in *vita Claudii, cap. XXV.*

** in *not. ad Laëtant. de mortib. persecutor. p. 126.*

sto, & contentione super ea inter Iudaeos & christianos orta, hoc est intelligendum, quæ etiam est sententia CORNELII A LAPIDE. * Sunt tamen, qui per Chrestum, Iesum Christum apud SVETONIVM intelligi, abnuunt, aliamque expulsionis a Luca commemoratae, causam adferunt, quod nempe Iudaei, Agrippinam Claudii vxorem ad iudaismum pellexerint, quemadmodum & Tiberius paulo ante eosdem Roma proscripserat, quod Fulviam, Saturnini senatoris vxorem, ad iudaismum traduxissent, teste FL. IOSEPHO. ** Verum si hoc sibi voluisset SVETONIUS, nullam rationem video, cur dixerit, ob tumultum impulsore Chresto, excitatum, eos Roma expulsos. Praeterea non infrequens fuit apud ethnicos pro Chresto Chrestum, & pro christianis christianos dicere; vnde illorum omnino confirmatur sententia, qui per Chrestum apud SVETONIVM, Christum intelligunt, quam & calculo suo adprobat PETRVS DANIEL HVETIVS. *** Testem aduocare lubet LACTANTIUM, qui de adpellatione Christi, differens; *exponenda, inquit, † huius nominis ratio est, propter*

* ad b. l.

** lib. XVIII. antiquit. Iudaic. cap. I. & V.

*** demonstrat. euangel. prop. III. p. 63.

† institut. diu. lib. IV. cap. VII.

pter ignorantium errorem, qui eum immutata lit-
 tera Chrestum solent dicere. Et ante LACTANTIUM
 TERTULLIANVS: * christianus, quantum interpreta-
 tio est, de vñctione deducitur, sed & cum perpe-
 ram chrestianus pronuntiatur a vobis, (nam nec
 nominis est notitia penes vos) de SVAVITATE vel
 BENIGNITATE compositum est. Nimirum ex igno-
 rantia ethnicorum, occasionem captarunt eccle-
 siae doctores veteres, etiam chrestianorum no-
 men in meliorem interpretandi partem, & hinc
 innocentiam illorum demonstrandi: quod prae-
 ter TERTULLIANVM etiam fecerunt IVSTINVS,** THEO-
 PHILVS Antiochenus,*** aliique. Nullum ergo
 est dubium, vt ad ea redeamus, vnde digressi su-
 mus, quin SVETONIVS, Iudaeorum nomine christi-
 anos quoque complexus sit. Constatque etiam
 ex aliis, Iudaeorum nomine subinde christianos
 venire ethnicis, adeo vt CELSVS quoque † in Iu-
 daeos simul atque christianos inuectiuam suam
 com-

* apologet. cap. III.

** apolog. I. ad Antoninum piūm, sub init.

*** ad Autolyicum, lib. I.

† vid. ORIGENES, lib. I. adu. Gelsum. add. 10. ANDREAS
 QVENSTEDIVS, antiquitatib. biblic. & eccles. cap. XIII.
 p. 924. item, CHRISTIANVS KORTHOLTVS, in pagano
 obtreclatore, lib. I. cap. III. §. VI. seqq.

componens, utrosque ut congeneres coniunxerit. Unde & christiani *asinarii*, itemque *asinicolae* dicti sunt, eo quod Iudaeis asini cultus ab ethnicis obiiciebatur, teste TERTULLIANO.*

§. XIX. Ceterum res magni olim momenti erat, vocari christianum. Adeo enim hocce nomen hominibus huius seculi inuisum erat, ut maximorum scelerum flagitiorumque conuictus censeretur, qui christianus vocabatur. *Christianis solis*, inquit TERTULLIANVS, ** *nihil permittitur loqui quod causam purget, quod veritatem defendat, quod iudicem non faciat iniustum: sed illud solum expectatur, quod odio publico necessarium est, CONFESSIO NOMINIS, NON EXAMINATIO CRIMINIS.* Et iterum: *** *christianus, si nullius criminis nomen est, valde ineptum, si solius nominis crimen est. Quid? quod ita plerique clausis oculis in odium eius impingunt, ut bonum alicui testimonium ferentes, admisceant nominis exprobrationem: bonus vir Caius Seius, tantum quod christianus: item alius: ego miror Lucium sapientem virum repente factum christianum,*

● in apologet. cap. XVI.

** in apologet. cap. II.

*** ibid. cap. III.

num, &c. Sic & IVSTINVS. * ἐφ' ἡμῶν τὸ ὄνομα
 ὡς ἔλεγχον λαμβάνετε : & rursus : ** μόνον
 μισήμεθα δι' ὄνομα τῷ Χριστῷ. Nimirum hoc est,
 quod Christus praedixerat : *tunc in calamitatem
 trademini, & occidemini, & cunctis eritis genti-
 bus inuisi, propter NOMEN MEVM; Matth. XXIV. 9.*
 Sed hoc merito in felicitatis partem maximam
 reputabant veteres christiani, quod vel ob ipsum,
 quo insigniebantur nomen, dura quaeuis & aspe-
 ra pati cogerentur. Hoc iterum seruator eos
 docuerat : *beati eritis, cum vos oderint homines,
 & separabunt, & conuertiabuntur, vestrumque
 nomen tanquam malum propter homine natum
 abiicient, Luc. VI. 22.* Fierique aliter non pote-
 rat, cum christiani seruatoris atque magistri sui
 vestigia prementes, non possent non valde inuisi
 mundo esse, vt ipse mundi odium satis expertus
 erat. Hinc rursus discipulos suos hoc iampri-
 dem condocuerat. *Si vos mundus, inquit, odit,
 illud cognoscite, quod me priusquam vos odit. Si
 mundani essetis, mundus amaret suum. Verum,
 quia mundani non estis, sed ego vos ex mundo ele-
 gi, ideo vos odit mundus. Ioan. XV. 18.*

G

§.XX.

* apol. I. p. 156.

** p. 144. add. EVSEBIYS, *dem. euang. lib. III. cap. V.*

§. XX. Quantumuis autem inuisum ethn-
 icis, huiusque seculi hominibus esset christia-
 norum nomen, idem tamen eximium longeque
 pulcherrimum visum fuit illis, qui vera fide Chri-
 sto seruatori addicti erant, vt summam in eo glo-
 riam quaererent, quod & essent & vocarentur
 christiani. Neque id immerito, si vim vocis huius
 atque significationem rite expendamus. Cum
 vero non vna denominationis huius caussa ad-
 ferri queat, eas non separandas, sed coniungen-
 das potius existimo. Primo namque & a ma-
 gistro discipuli, quod & supra * iam obseruau-
 mus, & a domino serui, & vxor a marito, deno-
 minationem iam olim accipere solebat. Quae
 omnia in christianorum quoque nomine locum
 inueniunt: quod adeo nos admonet, Christum
 esse & magistrum nostrum atque doctorem,
Matth. XXIII. 8. & dominum nostrum, *Ioan.*
XIII. 13. & sponsum, immo maritum ecclesiae,
 quae ab eo nomen sortita est. *Ioan. III. 29.* *Eph. V.*
25. *Apoc. XIX, 7.* Sed arctior adhuc vnio inter
 Christum & fideles intercedit, qualis videlicet est
 inter caput & membra: vt adeo a capite mem-
 bra recte denominationem accipiant. *Sicut enim*
corpus

* §. VII.

corpus unum est, inquit Paulus, & membra habet multa, omnia vero illa membra corporis, quod unicum est, multa sunt, sed unum sunt corpus, ita & Christus. I. Cor. XII. 12. Immo, quod maius adhuc est, qui in Christum credunt, eum induere, dicuntur, Gal. III. 27. Recte hinc THEODORETUS: οἱ τῷ Χριστῷ πεπιστευκότες, καινήν προσήγορίαν ἐδέξαντο, οὐκ ἐξ Ἀβραάμ, ἢ Ἰσραήλ Ἰουδαῖοι καλούμενοι, ἀλλ' ἐξ αὐτῶ προσαγορευόμενοι τῷ δεσπότῃ Χριστῷ. Χριστιανοὶ γὰρ παρὰ πάντων καλεῖσθαι, οἷτε διὰ τῆς παναγίης βαπτισματῶν τοῦ Χριστοῦ ἐνδυσάμενοι. Qui crediderunt in Christum, nouam adpellationem susceperunt, non ex Abraham, vel Israel Iudaei nuncupati, sed ex ipso Christo domino, nomen adepti. Christiani quippe ab omnibus nominantur, ut, qui per sanctissimum baptismum Christum induerunt.

§. XXI. Praeterea dum a Christo adpellationem sortiti sunt christiani, eos vnctionis quoque a qua ille nomen habet, participes factos innuitur. Vncti nimirum sunt, si modo re ipsa tales sunt, quales nominis ratio requirit, oleo laetitiae, hoc est, donis spiritus, aequae ac ipse Christus, licet hic maiori copia eminentiorique quadam ratione.

rione. De Christo namque dicitur: *iustitiam amas, odisti improbitatem, propterea Deus tuus, o Deus, oleo laetitiae te inunxit, prae sociis tuis. Ps. XLV. 8.* Quod dum Paulus repetit *Ebr. I. 9.* ultima verba reddit: *παρὰ τῆς μελόχας σκ,* eo clarius innuens eiusdem vnctionis christianos participes factos, qua vnctus est seruator, sed eo, qui iis conueniebat, modo. Quod & Ioannes confirmat: *vos vnctionem habetis a sancto illo profectam, I. ep. II. 20. & v. 27. vnctio, quam vos accepistis ab eo, manet in vobis.* Itemque Paulus: *porro, qui nos confirmat vobiscum in Christum, & qui vnxit nos, Deus est: qui etiam obsignauit nos, indiditque arrhabonem spiritus cordibus nostris, II. Cor. I. 21. 22.* Vnctionis autem vt olim varius & multiplex vsus erat, & tum ad sanitatem roburque corpori conciliandum, tum ad suauitatem, decus quoque ac ornamentum pertinebat, ita varium multiplicemque vsum dona spiritus sancti, quibus christiani vncti sunt, praebent. Per ea sanitas redditur aegris, *Ps. CIII. 3. 4.* robur & firmitas imbecilibus, *I. Petr. V. 10.* defatigatis redeunt vires, vt manus remissas & genua soluta surrigere, rectasque orbitas pedibus suis facere valeant, *Ebr. XII. 12. 13.* Per ea odorem suauissimum virtutum

tutum

tutum omnium longe lateque de se spargunt,
II. Petr. I. 5. seqq. faciuntque, ut lux sua luceat a-
 pud homines, ut recta eorum facta videntes, col-
 laudent patrem eorum, qui est in coelis; *Matth.*
V. 16. Hinc decus suum maximumque orna-
 mentum reputant, quod istis ornati sunt donis,
 quibus regi ac sponso suo placere possunt. *Psalms.*
XLV. 12. 14. Sed lectu hic digna sunt, quae THEO-
 PHILVS ANTIQCHENVS, * de vnctione, vnde christia-
 ni nomen trahunt, differit: περι τῆς σε καλαγε-
 λῶν μου, καλεῖντα με χριστιανόν, ὅκ οἶδας ὁ λέ-
 γεις. "Οὐ τὸ χριστὸν ἢ δὴ καὶ εὐχρηστον καὶ ἀκα-
 ταγέλαστον ἐστὶ. Ποῖον γὰρ πλοῖον δύναται εὐ-
 χρηστον εἶναι καὶ σώζεσθαι, εἰ μὴ πρῶτον χρι-
 στῆ; ἢ ποῖον πύργον ἢ οἰκίαν εὐμορφῶν καὶ
 εὐχρηστός ἐστιν, εἰ μὴ ἐκέχρισται; τίς δὲ ἄνθρω-
 πον εἰσελθὼν εἰς τὸν βίον, ἢ ἀθλῶν, ἐχρί-
 εται ἐλάϊω; ποῖον δὲ ἔργον ἢ κόσμιον δύναται ἐμ-
 μορφίαν ἔχειν, εἰ μὴ χριστῆ καὶ σιλωθῆ; εἴτα
 ἀπὸ μὲν ἑπάσσα ἢ ὑπὸ ἔρανον ἰσόπῳ ἡνὶ χρι-
 σταί φωτὶ καὶ πνεύματι. σὺ δὲ ἐβέβαι χριστῆνα
 ἐλαίον Θεῶ; τοιγαρῶν ἡμεῖς ἴσμεν εἵνεκεν καλέ-

G 3

μεθα

* *lib. 1. ad Autolyceum, p. m. 77.*

μεθα χριστιανοί, ὅτι χειόμεθα ἔλαιον Θεῶ.
*Quod tibi ludibrium debeo, dum me christianum
nuncupas, nescis quid dicas, quia unctiois nomen
suave est, utile, minimeque risu dignum. Quae
enim navis vsui esse potest, & salua manere, nisi
prius ungetur? quae turris aut domus elegans &
utilis, nisi uncta? quis mortalium vitam hanc
ingrediens aut iniens certamen, non ungitur oleo?
Quodnam opus censetur ornatum, nisi perungatur,
& quasi splendore illustretur? Praeterea aer, &
omnis, quae sub coelo creatura, quodammodo lu-
mine spirituque inungitur, & tu recusas ungi Dei
oleo? Certe, nulla alia de causa christiani nuncu-
pamur, quam quod Dei oleo inungimur.*

§. XXII. Non tantum autem unctiois
cum Christo participes factos christianos nomi-
ne hocce significatur, sed certo modo etiam offi-
ciorum, quibus Christus, ceu unctus domini, per-
functus est. Unctio enim in veteri testamento
consecrari & inaugurari solebant, prophetae, sa-
cerdotes atque reges. Sic & triplex Christi of-
ficium esse, propheticum, sacerdotale, atque re-
gium, constat. Quae quidem officia, etsi emi-
nentiori quadam ratione Christo conueniant,
certo tamen modo, & per analogiam quandam,
idque

idque praeunte scriptura sacra, christianis omnibus tribui possunt. Et ad propheticum quidem quod attinet, de eo nos dubitare non sinit luculentum Ioelis vaticinium, *cap. II. 28. 29. eritque postea ut effundam spiritum meum super omnem carnem & prophetabunt filii vestri, & filiae vestrae*; de quo vaticinio Petrus *Actor. II. 39. vobis enim facta est promissio & liberis vestris, & omnibus longe post futuris, quoscunque videlicet aduocauerit dominus Deus noster*. Ut adeo dubium non sit, quin ad omnes omnino christianos, nemine excepto, hoc pertineat. Id vero cum de extraordinario prophetandi dono intelligi nequeat, quod licet quibusdam sub initium noui testamenti concessum sit, longe tamen frequentius fuit in veteri testamento, ut de ordinario illud capiamus, par est. Qua de re ut recte statuatur, prophetam olim eum dictum, obseruandum, qui amicus singularis Dei cenlebatur, quod & ipsa vox ebraea נביא innuit. *conf. Sap. VII. 27.* Ut autem inter amicos familiaritas quaedam intercedit, ita & se res quodammodo habet, in amicitia ista cum Deo. Haec vero, quae fidelibus cum Deo, intercedit familiaritas, tria velut complectitur, quod Deus cum iis loquatur, & illi iterum
cum

cum Deo in precibus & gratiarum actionibus, & denique quod de Deo ad alios loquantur in praedicatione diuinæ voluntatis. * Nimirum, Deus cum illis loquitur, dum iis voluntatem suam manifestat. *Qui diligit me, inquit Christus, diligetur a patre meo, & ego diligam eum, & ei conspiciendum exhibebo meipsum, Ioan. XIV. 21. Et iterum cap. XV. 15. vos autem dixi amicos, quia omnia, quae audiui a patre, nota feci vobis.* Sed cum Deus vel extraordinarie & immediate, vel ordinarie & mediate, hoc est, per verbum se hominibus patefaciat, non de illa, sed hacce patefactione nobis sermo est. Cuius vt compotes fiant, & adeo in muneris prophetici cum Christo consortium veniant, necesse est, vt ipsi met sacras litteras assidue & diligenter, scrutentur, iuxta praeceptum Christi, *Ioan. V. 39.* & exemplum Berrhoensium, *Actor. XVII. 11.* Latis-
simus hic se nobis aperiret campus, disquirendi, an lectio scripturae sacrae omnibus promiscue, concessa sit, aut concedenda? an, qui linguarum originalium, artisque hermeneuticae rudes sunt, legere scripturam sacram possint, & debeant? quo pacto

* CONF. HERMANNVS WITSIVS, in *miscellan. sacris*, part. I. cap. I. §. IV. seqq.

pacto hominibus illiteratis in diuinarum litterarum tractatione versandum sit? Annon forte hinc confusio quaedam, aut damnum ecclesiae metendum sit? & quae alia sunt eiusdem generis. Sed hisce immorari nostri non fert instituti ratio, suntque haec omnia ab aliis, speciatim & a B. PHIL. IACOBO SPENERO,* pertractata copiosissime, solidissimeque.

§. XXIII. Ita ergo cum Deus cum amicis suis loquatur, iisque voluntatem suam patefaciat, quemadmodum eandem modo eminentissimo filio suo vnigenito patefecit, *Ioan. I. 18.* hominum porro qui amici Dei censerivolunt, est, loqui cum Deo, in precibus & gratiarum actionibus. Hinc de Abrahamo dicitur: *ויתתלל בערך* quia propheta est, & *orabit pro te, Gen. XX. 7.* Quo in loco vt primum nomen *נביא* propheta, occurrit, ita cum eo coniungitur munus orandi, seu precandi Deum. Moses cum maximus esset propheta, precum eius tanta fuit efficacia, vt iis velut constringeretur Deus, ne quod vellet facere posset, *Exod. XXXII. 10.* Huc referre licet & illud, *Psal. XCIX.*

* in libello Germanico, de sacerdotio spirituali, qu. XXVIII. ad XLIV. p. 46. seqq.

XCIX. 6. Moses & Aaron in praecipuis ministris eius, & Samuel in inuocantibus nomen eius erant, inclamantes Iehouam ipse ilico exaudiuit eos. De Elia, summo propheta, & quanta precum eius fuerit efficacia, testatur Iacobus, epist. V. 17. Sed ipse quoque seruator tum sacerdotem, tum prophetam, se hac in re abunde demonstrauit, dum non tantum preces ardentissimas ad patrem suum fudit, cum adhuc inter mortales esset, Matth. XIV. 23. XXVI. 36. Ioan. XVII. 1. seqq. sed & postquam per sanguinem suum in sanctum sanctorum intrauit, pro nobis intercedere non desinit, Rom. VIII. 34. Ebr. VII. 25. Pari ergo quoque ratione a christianis omnibus requiritur, propheticique illorum muneris partem constituit, ut frequenter cum Deo, ceu amicus cum amico, in precibus colloquantur, idque iuxta monitum Pauli: ἀδιαλείπτως προσεύχεσθε, I. Thessal. V. 17. immo iuxta praeceptum ipsius Christi: petite & dabitur vobis, quaerite & inuenietis, pulsate & vobis aperietur, Matth. VII. 7. Marc. XI. 24. Luc. XI. 9. conf. & Luc. XVIII. 1. Ephes. VI. 18. I. Thessal. III. 10. Neque tantum pro se ipsis, sed & pro aliis orare debent, I. Tim. II. 2. idque iterum ex indole officii tum sacer-
dota-

dotalis, tum prophetici, vt vel Abrahami exem-
plo liquet, *Gen. XVIII. 23. seqq.* Dicit hic porro
posset, de legitima Deum precandi ratione, quid
ab eo petendum? quomodo? quo animi adfe-
ctu ad precandum accedendum? quaenam vt ri-
te oremus, praecedere debeat praeparatio? quae-
ue precum vis sit & efficacia? sed cum hac quo-
que de re alii ex instituto exponant, hisce immo-
rari superuacaneum esse putamus. *

§. XXIV. Superest itaque vltima pars mu-
neris prophetici, in eo consistens, vt de Deo re-
busque diuinis ad alios verba faciant, & quae de
iis sibi innotuerunt, illis indicent. Eratque hoc
prophetis omnibus proprium, vt quandoque in
eo tantum officii prophetici ratio constitui vide-
atur. Exemplumque praeter alios nobis iterum
praebet Abrahamus, quem omnium primum
prophetam seu amicum Dei adpellatum, observa-
uimus, quippe de quo *Gen. XXI. 33.* dicitur: *plan-
tauit autem Abrahamus nemus Beersebae, & no-
men Iehouae aeterni Dei ibi inuocauit, hoc est, sa-
cra publica ei fecit, simulque alios erudiuit & ad*

H 2

verū

* Ex instituto de hisce omnibus dictum a praefide,
in *institutiōib. theol. moral. part. I. cap. V. §. XXV.*
seqq.

veri Dei cognitionem perduxit. Prophetæ, quibus immediate Deus nonnulla reuelauerat, ea etiam, quæ illis reuelata erant, si Deus iuberet, mortalibus annuntiabant: cumque subinde Deus euentus futuros, quos nemo ceteroquin scire poterat, illis manifestaret, factum est, vt specia-
 liori quadam ratione, nomen prophetæ illis hæ-
 reret, qui futura ex reuelatione diuina prædicere poterant. Sed generatim tamen illi quoque pro-
 phetæ erant & dicebantur, qui, quæ via & mo-
 do ordinario de Deo rebusque diuinis didice-
 rant, aliis iterum proponebant. Quo sensu de
 prophetiis in ecclesia Corinthiaca prolixè differit
 Paulus apostolus, & præ ceteris donis spiritali-
 bus iubet ambire, *prophetandi donum*, I. Cor.
 XIV. 39. hoc est, facultatem scripturam scite ex-
 plicandi, & de rebus diuinis perite differendi. Vt
 autem seruator noster eminentissima ratione pro-
 pheta merito dicitur, cui non tantum omnia præ-
 terita, præsentia, futura penitus erant perspecta,
 de quo adeo etiam Ioannes dicit: *Deum nemo
 vidit vnquam, vnigenitus filius, qui est in sinu
 patris, is exposuit, cap. I. v. 18.* vnde & propheta
 audit ipso Mose maior, *Deut. XVIII. 15. Actor. III.
 22.* ita in muneris prophetici consortium cum

eo

eo etiam hac ratione veniunt christiani, si virtutes praedicent eius, qui eos ex tenebris in suam lucem mirabilem vocavit, *I. Petr. II. 9.* Christianorum itaque est, pro viribus sibi concessis, verbis factisque diuini nominis gloriam amplificare, deque Deo rebusque diuinis cum aliis libenter colloqui, erudire imperitos, viamque salutis illis monstrare, *Colos. III. 16.* errantes in rectam reuocare viam, *Iacob. V. 19. 20.* se inuicem variis commonefactionibus excitare, *I. Thesal. V. 14. Ebr. III. 13. X. 24. 25.* immo illos, quos peccatis se inuoluere vident, cum omni mansuetudine redarguere, *Leuit. XIX. 17. Matth. XVIII. 15. Gal. VI. 1. Ephes. V. 13.* afflictos denique erigere, atque solari moestos, *I. Thesal. IV. 18. V. 14.* Atque haec vt omnibus christianis conueniunt officia, immo ab illis requiruntur, vt ipsimet, si ea negligent peccent, ita vt loci, temporis, aliarumque circumstantiarum habeant rationem, & cuncta ita peragant, ne sua culpa sine sperato excidant, prudentiae leges postulant. Nec etiam nefas fuerit, conuentus quosdam a publicis, qui ad totam ecclesiam spectant, separatos quandoque instituere, vt iunctis precibus, cantionibus, sermonibusque sacris se inuicem excitent, & in vitae sanctae stu-

dio confirmant, cum ipse apostolus velit, ut ver-
 bum diuinum *πλυσίως* in nobis habitet, *Colos. III. 16.* modo cuncta in iis ordine & decenter fi-
 ant, nec aliud quid quam mutua aedificatio
 quaeratur, multo minus autem in contemptum
 & vilipendium cultus publici cedant. Tum enim
 nihil continent, quod legibus diuinis repugnat:
 humanae autem ad commoda ecclesiae quouis
 modo promouenda, comparatae esse debebant.
 Sed ut publico cultui sua merito constare de-
 bet necessitas, utilitasque, ita etiam officia ista
 christianorum ex munere illorum prophético flu-
 entia, neutiquam eousque extendenda sunt, ut
 quae doctoribus ecclesiae propria sunt, aliis tri-
 buantur. Ut enim hac ratione ecclesiae ordo
 turbaretur, & summa miscerentur imis; ita co-
 gitandum, huncce docentium & discipulorum ordi-
 nem a Deo ipso esse constitutum, *Ephes. IV. 11.*
 adeoque contemni non posse, nisi diuinas insti-
 tutiones simul contemnere & pedibus conculca-
 re velimus. Cuncta ergo hic ita peragenda, ut
 salua sit auctoritas illorum quibus facultas pu-
 blice docendi, ceu pastoribus rite vocatis com-
 petit, neue quis sibi ea vindicet, quae verbi diui-
 ni ministris sunt propria. Etsi enim munus illud
 oib. ¶ pro-

propheticum, eo, quo id haecenus explicauimus modo, christianis omnibus sit commune, publicum tamen docendi munus, cum usu clauis ligantis & soluentis, & facultate administrandi sacramenta verbi diuini ministris est proprium, ex ipsa quoque ministerii ecclesiastici institutione diuina deriuandum. Quod quidem specialius explicare, nostri nunc instituti ratio non patitur.

§. XXV. Cum prophético christianorum officio coniunctum est sacerdotale, immo in quibusdam cum eo conuenit, vnde & sub sacerdotali quandoque comprehendi solet. Quo sensu Petrus dixit: *vos autem estis regale sacerdotium*, I. epist. II. 9. & Ioannes: *fecit nos reges & sacerdotes Deo, & patri suo*, Apoc. I. 6. Vt autem sacerdotum erat appropinquare ad Deum, & in sanctuarium ingredi, *Exod. XIX. 22. Leuit. X. 3.* quemadmodum & Christus ceu summus sacerdos noui testamenti per suum ipsius sanguinem ingressus est semel in sanctum sanctorum, aeternamque liberationem inuenit, *Ebr. IX. 12.* ita & christiani, ceu amici & familiares Dei libertatem habent ingrediendi sacrarium, *per sanguinem Iesu, ea via, quam dedicauit iis recentem & viam*, *Ebr. X. 19. 20.* Veteris quidem testamenti sacerdotes,

dotes, sine sanguine in sacrarium non intrabant, quemadmodum & summus noui testamenti sacerdos suo sanguine in illud ingressus est: sed a christianis hoc non requiritur, cum Christus unico sacrificio consummauerit in perpetuum sanctificandos, *Ebr. X. 14.* Interim & a christianis, offerendae sunt hostiae, non carnales, non tauri, aut hirci, sed *spirituales, acceptae Deo per Iesum Christum, I. Petr. II. 5.* Seiplos itaque, mentem pariter ac corpus, omnesque cogitationes, dicta & facta, Deo consecrant, & in sacrificium offerunt, de eo vnice solliciti ne quidquam cogitent, dicant, agant, quod Deo displicere queat, *praestantes*, ita quoque *corpora sua hostiam uiuentem, sacram, acceptam Deo, qui cultus illorum est rationalis, Rom. XII. 1. & membra sua serua praebentes iustitiae ad sanctimoniam, Rom. VI. 19.* Accedunt preces, & gratiarum actiones, quas christiani pura mente Deo offerunt, *suffitus precum, Apoc. VIII. 3. 4. fructus labiorum, nomen eius celebrantium, Ebr. XIII. 15.* Et haec sunt sacrificia ista spiritualia, quae christianos toto orbe oblaturos, iampridem Malachias diuinus vates praedixit: *non est mihi voluntas in vobis dicit dominus omnipotens, & sacrificium non accipiam de mani-*

manibus vestris. Quoniam ab ortu solis usque ad occasum nomen meum glorificatur inter gentes, & in omni loco incensum offertur nomini meo, & sacrificium purum: quoniam magnum est nomen meum in gentibus, dicit dominus omnipotens, Mal. I. 10. 11. Haec enim verba de cultu, seu sacrificiis christianorum spiritualibus, intelligenda esse, res ipsa docet. Romanensium enim commenta, ad sacrificium, quod vocant missae, ea trahentium, iampridem exploserunt alii. *

§. XXVI. Non tantum propheta fuit Christus, & sacerdos, sed rex quoque. Gabriel namque angelus, natiuitatem eius ex Maria virgine annuntiaturus, *isque, inquit, in domum Iacob regnabit in perpetuum, nec ullus eius regni finis erit, Luc. I. 33.* Reges itaque suo modo etiam sunt, qui a Christo nomen gerunt, iuxta effatum Ioannis: *fecit nos reges & sacerdotes Deo & patri suo, Apoc. I. 6.* Inter Stoicorum paradoxa & hoc est: *solum sapientem regem esse. *** Sed longe rectius

I

ia

* conf. praesidis dissertatio, qua *Clementem Romanum, atque Irenaeum, non fauere missae Pontificiae* demonstrauit, §. XL. seqq.

** vid. IVSTVS LIPSIVS, in *manuduct. ad philosophiam Stoicam, lib. III. dissert. XIII.*

in christianōs hocce quadrat, qui & in seipfos, suasque cupiditates, & in mundum, & in diabolum imperium habent, cum horum contra hostium imperio subiecti sint, & sub durissimo seruitutis iugo ingemiscant homines improbi, *Rom. VI. 16.* Qui suas perdomare cupiditates didicit, rectius, iudice *TULLIO*, *rex adpellabitur, quum Tarquinius, qui nec se, nec suos regere potuit.* Christianorum vero hoc est proprium, qui non patiuntur, vt *peccatum in mortali illorum corpore regnet, Rom. VI. 12.* sed *liberati a peccato mancipati sunt iustitiae, ibid. v. 18.* Hinc *caro contra quam spiritus, & spiritus, contra quem caro, concupiscit, Gal. V. 17.* Sed mundo quoque imperant, dum, quae in eo sunt, cupiditates prauas irritare apta, generoso animo spernunt, nec iis se irretiri patiuntur. Nam *quidquid ex Deo est, inquit Ioannes, vincit mundum, & haec victoria, quae vincit mundum, fides vestra, I. epist. V. 4.* Immo ipse tandem illis cedere cogitur *Satanas*, cuius in eos irriti & vani sunt insultus omnes, si modo fortiter illi obuiam eant, idque exemplo Christi, *Matth. IV. v. 1. seqq.* Hinc fortiter in fide illi resistere nos iubet *Petrus I. epist. V. 9.* & *Paulus*, Deum *Satanam* sub nostris conculcaturum pedibus, ait, *Rom. XVI.*

XVI. 20. Nec opes illis regiae desunt, non quidem seculares, sed spirituales. *Pauperes* namque *huius mundi Deus elegit, ut fierent diuites fide & haeredes regni, Iacob. II. 5.* Immo nec maiestas, ac gloria, praesertim si operam omnem nauent, ut *lux illorum luceat coram hominibus, qui recta illorum facta videntes, collaudent patrem illorum in coelis, Matth. V. 16.* & ut transformentur ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν, *ad imaginem Dei, tanquam a Domini spiritu, II. Cor. III. 18.* eodem spiritu, qui est Ἰὸ Ἰησοῦ δόξης καὶ τὸ τῆς Θεοῦ πνεῦμα super eos recumbente, *I. Petr. IV. 14.*

§. XXVII. Atque haec cum ita se habeant, quanta christiani nominis dignitas sit, patet. Ecquid enim maius, aut decus, aut ornamentum adferre potest, quam Christi genuinum esse discipulum, eiusdem cum eo vntionis participem esse factum, immo in munerum eius, prophetici, sacerdotalis, regii, consortium venire? Merito ergo GREGORIUS NTSSENS, * christianorum nomen, μέγα καὶ σεβάσμιον *magnum & venerabile, vocauit, & GREGORIUS NAZIANZENS: ** ἡμῶν μέγα πρᾶγμα*

I 2

* *contra Apollinarem, tom. III. p. 261.*

** *orat. XX. p. 331.*

πρῶτον καὶ ὄνομα, χριστιανὸς καὶ εἶναι καὶ ὀ-
 νομάζεσθαι, nobis magna res, & magnum nomen
 est, quod christiani & sumus, & nominamur.
 Adeo itaque honorificum nomen christianorum
 veteribus visum, ut summam in eo gloriam quae-
 rerent. Quod vel LUCIANI, nobilis istius sub Dio-
 cletiano imperatore martyris exemplo constat,
 qui ad propositas sibi quaestiones varias, nihil
 aliud respondit, quam: χριστιανὸς εἰμι, christia-
 nus sum. * Interrogatus: ποίας εἰ πατρίδος;
 χριστιανὸς εἰμι, φησι: τί ἔχεις ἐπιθήδουμα; χρι-
 στιανὸς εἰμι: τίνας παρογόνους; ὁ δὲ πρὸς ἅπαν-
 τα ἔλεγεν, ὅτι χριστιανὸς εἰμι: qua ex patria or-
 tus es? christianus sum, ait. Quam artem profi-
 teris? christianus sum. Quibus maioribus? ille
 vero ad omnia dicebat: christianus sum. Simi-
 lia & de aliis narrantur. De CAESAREO fratre suo
 GREGORIVS NAZIANZENSIS: ** πολλῶν καὶ μεγά-
 λων ὑπαρχόντων αὐτῷ, πρῶτον ἦν εἰς ἀξίωμα
 χριστιανὸν καὶ εἶναι καὶ ὀνομάζεσθαι, καὶ πάντα
 ὁμῶς παιδία ἰς ἐκείνω. Ἐ λήρη, πρὸς ἐν τῷτο
 χρι-

* apud CHRYSOSTOMVM, homil. LXXV. tom. V. opp. p. 532.

** orat. X. p. 166.

ἡρωόμενα cum multa & magna ipsi suppeterent, ad dignitatem tamen hoc primum erat, quod christianus & esset, & nominaretur: sic, ut alia omnia cum hoc uno collata, ludus quidam ac nugae ipsi essent. Sed mitto reliqua, quae magno numero facili negotio adhuc addi possent.

§. XXVIII. Et ita de nominis istius dignitate, sentiebant homines rerum spiritualium intelligentes. Reliquis enim adeo non honorificum istud nomen visum est, ut non aliud temere inuisum magis esset, aut ad contemptum, & durissima quaeque attrahenda, comparatum. Fueruntque res christianorum longe florentissimae, quamdiu ob commoda externa nemo in nominis istius admitti consortium concupiscebatur. Sed mutata mox est rerum facies, aliaque secuta sunt tempora. Imperatoribus enim ad sacra christianorum traductis, honor omnis, gloria, potestas, opes, penes christianos esse coeperunt: gentiles contra nullo haberi loco. Quod ignobile itaque mundo olim visum, nunc maxime honorificum censebatur, quia commoda adferebat plurima. Ab illis hinc etiam lubentissime adoptatum, qui umbra contenti, veram christianorum dignitatem, ponebant in minimis.

Factum vero id sensim est, & pedetentim, ea quidem ratione, vt externus nominis huius splendor in tantum cresceret, in quantum potentia & dignitas ethnicorum imminuebatur. Initium factum sub CONSTANTINO M. imperatore, cuius exemplum secuti CONSTANTIVS & CONSTANS, & deinceps THEODOSIVS M. aliique, eo primum consilia conuertentes, vt cultum gentilium publicum prohiberent, & templa euerterent, ac destruerent, aut iis erepta ad alios vsus transferrent. Varias extant horum imperatorum constitutiones, quibus gentilismus sub nomine *erroris, consuetudinis, nefariorum rituum, superstitionis deterrimae, impiae, &c.* proscribitur. In templorum etiam destructione res tam feliciter processit, vt teste THEODORETO, * *Ἱερμενῶν templorum nec figura vel species, permanserit, & τῶν βωμῶν τὸν τύπον ararum formam, nec huius seculi homines scirent.* Spectat huc praeter alias lex HONORII, quae est XIX. codicis Theodosiani *de templis, vt aedificia templorum, quae in ciuitatibus: vel oppidis vel extra oppida essent, ad vsos publicos vindicarentur: arae locis omnibus destruerentur.* Cumque
haec

* tom. IV. opp. serm. VIII. de martyrib. circa finem.

haec omnia in urbibus primum tollerentur, in pagis autem aliquamdiu tolerarentur, factum inde, ut gentilibus per contemptum nomen *paganorum* haereret. Initio equidem ab officiis civilibus statim excludi non poterant fueruntque sub primis imperatoribus christianis, ad summas dignitates imperii, militiae, palatii euecti, plurimique ex iis commemorantur *consules Romani, praefecti praetorio, praefecti urbis, vicarii, proconsules, consulares, praesides, iudices, comites, magistri militum, officiorum* &c. ut ex codice Theodosiano de *paganis*, & LIBANIO Ἐπεὶ τῶν ἱερῶν, aliisque ecclesiasticae antiquitatis monumentis constat. Tandem vero eo res devenit, ut muneribus publicis non amplius admouerentur, deprimendi ita magis magisque, & ad statum tenuiorem redigendi. HONORIVS namque imperator, occasione molitionum Eucherii Stiliconis filii, paganis addicti, ut haereticos sic paganos quoque prohibuit militare intra palatium, & inter scholas palatinas, & vel *administratoris, vel iudicis honore decorari, l. XXI. cod. de paganis.* Secutae sunt deinceps THEODOSII junioris, aliorumque leges, quibus idem luculenter confirmatur, resque ethnico-
rum

rum prorsus imminutae & labefactatae fuerunt.

§. XXIX. Quam itaque inde contemptibile factum est paganorum nomen, tam honorificum censerī coepit nomen christianorum, tamque necessarium non modo ad honores & dignitates adipiscendas, sed ad contemptum quoque ac ignominiam euitandam. Quo ipso quin auctus insigniter illorum numerus sit, qui christianorum se amplecti sacra profitebantur, dubitari nequit: immo deletum prorsus atque extinctum inter christianos ethnicorum nomen, experientia testatur. Et laudari sane istud imperatorum christianorum, in propaganda religione christiana, & ethnicorum superstitione suppressenda, immo eradicanda, studium satis nequit, cum christiani hominis nomine indignus sit, qui non omnes vires omniaque consilia, ad regnum Christi seruatoris, dilatandum atque amplificandum confert. Interim tamen diffitendum non est, magna quoque grauissimaque hinc orta esse incommoda. Ex quo enim externa quaedam dignitas & ἐξοχή nomini christianorum adhaerere coepit, adeo vt nemo in republica toleraretur, vel viri honesti aut boni ciuis loco haberetur,

tur,

tur, qui non vocaretur christianus, pessimi qui-
 que atque perditissimi mortalium, modo exter-
 nam religionis prae se ferre speciem didicerant,
 in sanctissimum hocce nomen inuolauerunt, sibi-
 que ceu iure debitum vindicarunt. Ita ergo cum
 omnes promiscue probi pariter ac improbi, veri
 Dei cultores pariter ac foedi hypocritae, eodem
 christianorum nomine veniant, non modo vim
 suam veros & genuinos Christi discipulos a reli-
 quis discernendi, amisisse videtur, sed quotidie
 quoque in occasionem hypocriseos conuertitur,
 cum summae quilibet sibi ducat ignominiae non
 vocari christianum, & hinc vt nomen retineat,
 omnem nauet operam, etsi de re ipsa minime sit
 sollicitus. Cui incommodo, quo pacto obui-
 am iri queat, non semel disceptatum fuit. Fue-
 runt, qui consultum putarunt, vt per leges ciuiles
 etiam permitterentur esse non christiani, qui eius
 nominis mensuram non implent, disciplinaque
 ecclesiastica ita administraretur, vt in illos, qui a
 verorum christianorum numero segregantur, nul-
 la redundet ignominia aut poena ciuilis. Ita
 enim mox palam fore, quinam serio Christi di-
 sciplinam sequantur, sintque genuini eius discipu-
 li, dignique adeo nomine christianorum, quinam
 2111 K vero

vero hoc faciant, commodorum quorundam huius seculi, intuitu. Verum cum haecce medela, alia, & forte grauiora incommoda secum tractura esset, & omnino metuendum, ne apertus ethnicismus hac ratione postliminio reuocetur, nihil aliud superesse videtur, quam vt ab ecclesiae doctoribus vera nominis istius ratio explicetur, & diligenter inculcetur, & ostendatur, quinam hocce nomine digni, quinam indigni sint, & quod bona spiritualia, christianis propria, ad illos saltem pertineant, qui tales non tantum vocantur, sed reuera etiam sunt; & denique vt a communione sanctorum, sacraeue coenae participatione excludantur, de quibus aperte, quod christianorum nomine indigni sint, constat. Reliqua patienti ferenda animo, donec finito ecclesiae militantis statu, laetior triumphantis facies succedat.

§. XXX. Deferimur hac occasione ad tertiam & vltimam nostrae dissertationis partem, de vero & legitimo nominis christiani vsu. Cum enim christianus is demum sit, qui vera fide cum Christo ceu capite ecclesiae est coniunctus, vitaeque puritate sanctitateque testatur, se genuinum eius esse discipulum, vnctionis quoque non minus

nus

nus quam certo modo officiorum Christi, participem, sequitur omnes eos, qui aut per errores capitales, aut impuram pravamque vitae rationem testantur, se vera fide destitutos, pro christianis haberi non posse. Adeoque & haereticos, si modo vere tales sint, non recte christianorum sibi vindicare nomen, patet. Nunquam tamen non eodem venire voluerunt, ut iam antiquis ecclesiae doctoribus observatum est. De Marcionis discipulis verba faciens IUSTINVS apud EVSEBIUM: * Καὶ πάντες, inquit, οἱ ἀπὸ τῶν ὡς ἠμῶν ὡς ἔφαμεν, χριστιανοὶ καλεῖσθαι ὄντες ὅτι καὶ ἐκ κοινῶν ὄντων δόγματων τοῖς φιλοσόφοις, τὸ Ἰπικαλῆμενον ὄνομα τῆς φιλοσοφίας κοινὸν ἐστίν. *Omnes tamen eorum sectatores, christiani, ut diximus, adpellantur, eodem modo quo philosophis, tametsi diuersae sint sectae & sententiae, commune nihilominus ex philosophia nomen est inditum.* Pari ratione & EPIPHANIVS ** auctor est, haereses omnes, Manichaeos scilicet, Marcionitas, Gnosticos, ceterosque, qui christiani non sint, christianorum tamen nomine comprehendendi

K 2

ab

* hist. eccles. lib. IV. cap. XI. p. m. 125.

** haeres. XXIX. 6

ab omnibus solere, & vnamquamque sectam, licet alio nomine censeatur, id sibi nominis libenter adsciscere, quod hoc sibi esse decori & ornamento iudicet. Sed quantumuis hocce nomine superbirent, perperam tamen atque ausu nefario eos hoc sibi vindicare, veteris ecclesiae erat sententia. Constantinus imperator ipse, Arii asseclas, Porphyrianos potius, quam christianos dicendos, existimabat. In epistola namque ad episcopos & populum apud SOCRATEM, * ita sancit: Νῦν ἔδοξαν Ἀρειον καὶ τὰς Ἀρείας ὁμογνώμονας, πορφυριανὰς μὲν καλεῖσθαι ἢ ὧν τὰς τρεῖς μεμίνυται τῶν ἕχων καὶ τὴν περὶ τῆς τριτοῦς, nunc visum est Arium, & idem cum ipso sentientes, Porphyrianos quidem adpellandos esse, ut quorum imitantur mores, eorum etiam adpellationem habeant. Immo diserte olim constitutum fuit, christianum dicendum non esse, qui de sacrosancta Trinitate, secus ac par erat, sentiebat. PHOTIVS: ** ὁ μὴ δοξάζων τὴν ἁγίαν τριάδα ἐν μιᾷ θεότητι, ἰσοδύναμον, ἕτε χειριανὸς λέγεται, ἀλλὰ ἀφρων ἐστὶ, καὶ ἀγέλκός; qui sanctam Trini-

* hist. eccles. lib. I. cap. IX.

** nomocan. tit. XII. cap. II. ex constitut. I. tit. I. lib. I. codicis.

Trinitatem in una Deitate pari potestate praeditam non credit, christianus non dicitur, sed vesanus est & haereticus. Generatim iam TERTULLIANVS pronuntiauerat: * *Si enim haeretici sunt, christiani esse non possunt.* A quo non abludit illud LACTANTI: ** *cum enim Phryges aut Nouatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitae, aut Anthropiani, aut Arriani, seu quilibet alii nominantur, christiani esse desierunt hi, qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt.* Et ita quidem res se habet: cum haeretici vere tales cum Christo ceu capite ecclesiae vera fide coniuncti non sint (vera enim fides cum erroribus capitalibus consistere nequit) pro christianis quoque haberi nequeunt. Ex quo capite & inter recentiores haeticos speciatim Socinianis ac Neo-Arrianis nonnulli christianorum nomen denegare non dubitarunt, immo non desuerunt, qui inter eos ac Mahumedanos comparationem instituentes, utrosque pari ambulare passu, contenderunt, quod non ita pridem, non sine ingenii & doctrinae singularis laude, vir quidam

K 3

longe

* *de praescript. adu. haereticos, cap. XXXVII.*

** *diu. instit. lib. IV. cap. XXX.*

longe doctissimus praestitit.* Idem de reliquis omnibus, qui in fundamento fidei dissentiunt, dicendum, eos christianorum nomine, si vox haec proprie & secundum genuinam significationem capiatur, venire non posse.

§. XXXI. At dubium hic facile alicui suboriri posset, quinam itaque inter tot sectas, in quas orbis ut vocatur, christianus, diuisus est, christianorum nomen promereantur, cum quilibet penes se veritatem stare existimet, & dissentientes reiiciat, eosque facile in capitali versari errore, pronuntiet. Tractauit hocce argumentum vir clarissimus IOAN. CLERICVS, in peculiari dissertatione, de *eligenda inter dissentientes christianos sententia*, quam HVGONIS GROTHI libro de *veritate christiana religionis*, anno M DCC IX. Amstelodami recuso, subiunxit. Tractauit id quoque more suo, perspicue & eleganter, sed ut placitis sibi, aut Arminii discipulis propriis, insisteret. Non abs re itaque fuerit, vel tribus quae in hac commentatione desiderari poterant, indicare verbis. Primo adserit: *quaerendum esse, apud quosnam christianos, hodie vera Christi doctrina quam*
maxi-

* DN. LA CROZE, dans ses *dissertations historiques sur divers sujets*, tom. I. p. 1. seqq.

maxime vigeat. Recte quidem, si modo recte intelligatur. Cum enim vnica sit ad salutem via, vt vna etiam est veritas, errat magnopere, qui promiscue apud omnes se viam ad salutem inuenire posse, arbitratur. Errat itaque etiam, cui perinde esse videtur quam sequatur de rebus diuinis opinionem, cum si vna vera sit, altera non possit non falsa esse, atque erronea. Atque hoc contra indifferentismi, quem vocant, sedulo obseruandum est patronos ac defensores. Adserit porro vir doctissimus: *iis adhaerendum, qui christianorum nomine sunt dignissimi.* Quod itidem lubentes concedimus, & amabamus, quod aiunt, amplectimur manibus. Sed cum statim dubium suboriri possit, quinam hocce nomine dignissimi sint, ipse hoc explicat, assertione tertia subiiciens: *ii sunt christianorum nomine dignissimi, qui purissime omnium profitentur doctrinam, cuius veritatem probauit GROTIUS.* HUGO GROTIUS, in libro de *veritate christianae religionis*, generatim religionis christianae veritatem, contra Iudaeos & ethnicos probauit. Sed cum inter eos, qui christiani vocantur, multi sint, qui errores capitales in doctrina christiana foueant, qui quidem ipsum religionis christianae fundamen-
tam

tum evertant, non sane intuitu saltem Iudaeorum & ethnicorum, quinam christianorum nomine dignissimi sint, sed cum primis intuitu illorum, qui se christianos vocant, cum tamen non sint, pronuntiandum est. Rectius itaque dixeris: *ii sunt christianorum nomine dignissimi, qui purissime omnium profitentur doctrinam, cuius veritas ex sacris litteris aperte constat.* De consensu hinc & dissensu christianorum, agit auctor clarissimus, eo haud obscure tendens, ea, in quibus omnes, qui christiani vocantur, consentiunt, sufficere ut quis pro christiano haberi queat. Quem in finem & praecipua capita, in quibus christianos omnes consentire putat, recenset. Sed hic quoque non desunt, quae moneri possunt. Sunt quaedam, in quibus si verba generatim spectes, christiani omnes inter se consentire videntur: sed si speciatim quem quisque de hisce capitibus sensum foueat, inquiras, magnopere eos inter se dissentire deprehendes. Exemplo esse potest, symbolum, quod vocant apostolicum, quod Sociniani non minus & Arriani, quam reliqui recipiunt, sed diuerso utique sensu. Si quis ergo ea designare capita cupit, in quibus christiani omnes, vel qui ita vocantur, inter se consentiunt, ad id ante

ante

ante omnia necesse est attendat, an non tantum quoad verba, sed & quoad rem ipsam consentiant? Et ita si quis procedat, deprehendet, capita in quibus christiani omnes, vel qui ita vocantur, reuera consentiant, pauca admodum esse, eaque vix minimam verae religionis christianae partem constituere, adeoque ad salutem neutiquam sufficere. Quid ergo, inquis, factu opus? Ex scriptura sacra, quid ad christianam religionem requiratur, ingenue inuestigandum, & sic demum intelligetur, quinam sint christianorum nomine dignissimi. Atque hoc iterum recte monet auctor doctissimus: * *in hoc christianorum dissensu consensuque, nihil tutius prudentes iudicabunt, quam christianae religionis cognitionem ex fonte minime suspecto, & quem omnes incorruptum & purum fluere fatentur, haurire.* Quem quidem fontem non alium, quam solos libros noui testamenti, quos genuinos esse omnes agnoscant, esse pronuntiat. Nec tamen, vt opinor, libros canonicos veteris testamenti excludet. Habebitque adeo hac in re nos facile secum consentientes, modo & hoc concedat, sensum genuinum verborum noui testamenti, sicubi difficultas se offerat,

L

rat,

* §. V.

rat, interpretatione legitima, secundum regulas hermeneuticas, & analogiam fidei, instituenda, eruendum esse. Sed id quoque lubentes admittimus, quod porro docet: *aliud imponi christianis non debere, praeter id, quod ex nouo testamento (non excluso veteri) haurire possunt.* Traditiones enim humanas, & commenta, quae in scriptura sacra nullum fundamentum habent, merito explodimus. Sed cauendum, ne nobis persuadeamus, in scriptura sacra, praesertim nouo testamento aliquid non extare, quod tamen in ea omnino extat. Socinianis hoc contingere notum est, qui mysterium trinitatis, doctrinamque de satisfactione, in scriptura sacra non extare sibi persuadent, cum tamen euidentissime aperitissimeque in ea contineatur. Luculentius tandem mentem prodit vir doctissimus, dum interiectis nonnullis, quae huc non spectant, adserit: * *Purissime omnium eos doctrinam christianam, profiteri & docere, qui ea tantum quasi necessaria, de quibus consentiunt christiani, credenda, facienda, speranda proponunt.* Id enim vero est, quod mea opinione prorsus concedi nequit. Cum enim supra iam obseruatum sit, paucissima esse
capita,

* §. IX.

capita, eaque ad salutem consequendam minimè
sufficientia, in quibus omnes, qui christiani vo-
cantur, reuera consentiunt, sequitur eos neuti-
quam purissime doctrinam christianam profite-
ri, qui ea tantum docent, in quibus christiani, ita
generatim dicti, consentiunt. Ad minimum enim
multa omittunt, quae creditu sunt necessaria, &
quae aperte in scriptura sacra continentur. Qui
vero talia omittit, & non sufficienter tradit, quae
ad religionem christianam necessaria sunt, eum
purissime doctrinam christianam profiteri, dici
nequit. Diiudicari hinc potest, quod ultimo lo-
co subiicit, prout ad nostrum institutum viri do-
ctissimi commentatio spectat: *cum iis euchari-
stiae participes prudentes omnes fieri debere, qui
nihil aliud a christianis postulant praeter id, quod
unusquisque in noui federis tabulis inuenit.* Pri-
mo namque non satis sibi constare videtur vir
doctus, dum verae religionis criterium mox in
consensu christianorum omnium, mox in verita-
te doctrinae ex sacra scriptura haustae, constitue-
re videtur. Deinde, cum dicitur, christianorum
nomine dignissimos, qui tantum credunt, quae
in sacris litteris continentur, adeoque prudentes
omnes cum iis eucharistiae participes fieri debe-

re, id ita demum admittendum, supra iam obseruauimus, si sensus sit, eos demum hocce nomine dignos, qui secundum rectae interpretationis regulas scripturam sacram intelligunt; & hos sane & dignos christiano nomine, prout ex doctrinae veritate illud aestimandum, & tales esse, quibuscum quilibet eucharistiae particeps fieri debeat, lubentes admittimus. Ita vero ex hisce praemis-
sis longe alia forte sequetur conclusio, quam auctor clarissimus intendit.

§. XXXII. Non minus autem hominis christiani est, ut vitae ratione ad omnem honestatem, sanctitatemque composita, fidem suam testetur, & ita se tam Augusto, quod usurpat, non indignum esse nomine, demonstret. Qui secus se gerunt, perperam agunt, dum nomen sibi vindicant, quod nulla ratione illis conuenit. Si enim christianus dicitur, qui Christi ceu magistri sui doctrinam & exemplum sequitur, idque innocentis vitae studio, *I. Petr. II. 21. 22.* mansuetudine cum primis & modestia, *Matth. XI. 29.* sui que abnegatione, *Matth. XVI. 24.* eos sane, qui hocce exemplum sequi nolunt, vitaeque rationem ab eo multum discrepantem ingrediuntur, nihil minus quam christianos esse, palam est. Porro si christiani sunt,

sunt, qui eiusdem cum Christo vnctionis, sancti-
 que spiritus, facti sunt participes, indigni prorsus
 hoc nomine erunt, qui vnctionis omnis expertes,
 non Christi, sed mundi spiritu ducuntur & in o-
 mne circumaguntur nefas. Si denique christia-
 ni sunt, qui prophetici pariter ac sacerdotalis &
 regii officii partibus rite funguntur, indignissimi
 hoc nomine erunt, qui non sunt amici Dei (tales
 enim erant olim prophetae vt supra dictum) sed
 inimici, quales sunt omnes τὰ σαρκικὰ φρονήτες,
Rom. VIII. 7. qui non cum Deo, ad Deum, de
 Deo, sed cum carne sua, ad carnem suam, de re-
 bus carni suae gratis loquuntur; qui non Deo,
 sed impuro & maligno genio seipfos in hostiam
 offerunt, omnia dicta, facta, cogitata sua ei conse-
 crantes; qui non adfectibus suis cupiditatibusque
 prauis imperant, sed seruiunt potius, parati desi-
 gnare ea omnia & agere, quae aut ambitio, aut li-
 bido male sana, aut auaritia suadet. Hisce itaque
 omnibus, qui nomen christianorum tribui posse
 existimauerit, se eius vim parum perspectam ha-
 bere, prodet. Et ita quoque veteres ecclesiae
 doctores censuerunt. Praeclare IGNATIVS: *

supra

L 3

περ-

* *epist. ad Magnesianos, p. 57*

πρέπον ἐστὶ μὴ μόνον καλεῖσθαι χριστιανὸς, ἀλλὰ
 καὶ εἶναι· ἔ γάρ τὸ λέγεσθαι ἀλλὰ τὸ εἶναι μα-
 κάριον ποιεῖ. *Decet non modo vocari christianos,*
sed etiam esse : nec enim dici, sed esse, beatum fa-
cit. Pari ratione IUSTINVS : * οἱ δ' ἂν μὴ διξι-
 σκωνται βιβλικὸς ὡς ἐδίδαξεν ὁ Χριστὸς, γνωρίζεσθω-
 σαν μὴ ὄντες χριστιανοί, καὶ λέγωσι διὰ γλώτ-
 τῆς τὰ τῶ χριστῶ διδάγματα. *Qui non ita vine-*
re comperiuntur, sicut Christus docuit, certum id
documentum est, eos non esse christianos, quamvis
doctrinam Christi lingua profiteantur. Elegan-
 ter quoque ISIDORVS PELUSIOTA : ** ὡς πρὸς τὸν φι-
 λόσοφον ἔχ' ἡ σοφὴ καὶ βακίληα δεικνύσιν, ἀλλ'
 ἡ παρρησία καὶ ἡ πολιτεία· ἔτω καὶ τὸν χριστια-
 νὸν ἔχ' ἡ χῆμα καὶ λόγῳ, ἀλλὰ τὸ πῶ καὶ βίῳ
 τῷ ὀρθῷ λόγῳ ἐφάμιλλῳ. *Quemadmodum*
philosophum non efficit pallium & baculus, sed li-
bertas loquendi, & vita proba atque honesta : ita
& christianum non facit habitus & oratio, sed vi-
ta & mores, rectae rationi consentientes. Simi-
 lia apud MACARIUM, CLEMENTEM ALEXANDRINUM, ali-
 osque,

* apol. II. p. 141.

** lib. IV. ep. XXXIV.

osque, cum primis GREGORIUM NYSSENVM, de *perfecta christiani forma*, occurrunt, quae adferre omnia prolixum nimis foret. Totus quoque in eo est SALVIANVS Masiliensis presbyter, vt stultitiam illorum redarguat, qui se christianos vocant, cum tamen vitae improbitate se tales non esse, demonstrent. Qua in re ita versatur, vt non tam sui, quam nostri seculi mores, luculenter velut depingere videatur. Cum dixisset, christianos, quorum vita doctrinae & exemplo Christi non respondet, *perdere vim tanti nominis, vitio prauitatis*, addit: * *Nihil enim omnino prodest, nomen sanctum habere sine moribus: quia vita a professione discordans abrogat inlustris tituli honorem per indignorum actuum vilitatem.* (Ita enim legendum, vt recte monuit STEPHANVS BALZIVS: non, *utilitatem*, vt vulgo legitur.) Vnde cum pene nullam christianorum omnium partem, pene nullum ecclesiarum omnium angulum non plenum omni offensione, & omni letalium peccatorum labe videamus, quid est, in quo nobis de christiano nomine blandiamur, cum utique hoc ipso magis per nomen sacratissimum rei simus, quia a
sancto

* lib. III. de gubernatione Dei, p. 53. ex editione, quae
M DC LXXXVIII Bremae prodiit.

*sancto nomine discrepamus. Nam & ideo plus sub religionis titulo Deum laedimus, quia positi in religione, peccamus. In sequentibus * hoc ulterius deducit, & quam necessaria sit vitae sanctitas, si quis iure christianus vocari velit, luculenter euincit. Nam, inquit, cum ut diximus, hoc sit hominis christiani fides, fideliter Christum credere, & hoc sit Christum fideliter credere, Christi mandata seruare, sit absque dubio, ut nec fidem habeat, qui infidelis est, nec Christum credat, qui Christi mandata conculcat. Ac per hoc totum in id reuoluitur, ut qui christiani nominis opus non agit, christianus non esse videatur. Nomen enim sine actu atque officio suo nihil est. Hinc vero tandem concludit, improbos homines, qui vocantur christiani, nihil aliud esse, quam sues ornamento quodam condecoratas. Nam sicut ait quidam in scriptis suis, quid est aliud principatus sine meritorum sublimitate, nisi honoris titulus sine homine? aut quid est dignitas in indigno, nisi ornamentum in luto? Itaque ut iisdem verbis etiam nos utamur, quid est aliud sanctum vocabulum sine merito, nisi ornamentum in luto? sicut etiam per diuinas litteras sacer sermo testatus est, dicens: circulus aureus in*

nari-

* lib. IV. pag. 54.

naribus suis mulier pulchra & fatua. Et in nobis itaque, christianum vocabulum, quasi aureum decus est: quo, si indigne utimur, fit ut sues cum ornamento esse videamur.

§. XXXIII. Haec etsi evidentissima sint, & extra omnem dubitationem posita, plurimi tamen sunt, qui nulla ratione hoc sibi persuadere possunt, christiani hominis nomine illum demum dignum, cuius vita doctrinae & exemplo Christi, quantum per humanae imbecillitatis rationem licet, respondeat. Immo cum plurimorum prorsus non respondeat, qui tamen maximam sibi inferri iniuriam putarent, si pro christianis non haberentur, varias quidem vias mortales ingressi sunt, ut hinc se expedirent, speciemque christianismi excogitarent, qui cum vitae summa improbitate consistere posset. Horum vero conatus irritos esse cum viderent alii, dubitare coeperunt, an christianismus eiusmodi status sit, qui ad omnes homines pertineat. Fouisse nonnullos eiusmodi de christianismo cogitationes, videre licet apud PETRUM BAELIVM. * Scilicet, ut philosophi olim certum sectabantur vitae genus, quod non conueniebat omnibus, nec ab omnibus requirebant, sed ab iis qui in illorum se dabant disciplinam, & quemadmodum certorum ordinum apud pontificios conditores, Benedictus, Dominicus, Franciscus, regulas certas, vitaeque genus non omnibus utique hominibus, sed iis, qui in istos ordines se daturi essent, praescripserunt: eadem ratione christianismum comparatum esse censent,

M

sent,


* *Continuation des pensées diverses &c. tom. II. §. CXXV.*

sent, qui non omnibus conueniat, sed nobilioribus saltem animis, qui spretis caducis aeterna & coelestia consecrari, & his reliqua omnia postponere non dubitent. Nec procul ab hac sententia absunt Romanenses, dum a legibus diuinis consilia distinguunt, haec illis demum data contententes, qui ad maiorem perfectionis gradum adspirant. Enimvero cum consilia haec reuera ea contineant, quae christianorum obsequio suo fidem demonstrare cupientium, sunt propria, nihil aliud agunt, quam vt christianismum ad eos restringant, qui in monasteriis viuunt. * Sed falluntur isti omnes turpiter. Cum enim Deus serio velit, vt omnes homines saluentur, *I. Tim II. 4.* eumque in finem pro omnibus filium suum dederit, *Ioan. III. 16. I. Ioan. II. 2.* sequitur quod christianismus in omnes cadat, omnesque eius participes fieri queant, si modo velint, nec media gratiae ipsimet repudient. Vocauit itaque Deus omnes sine discrimine sexus, aetatis, status & conditionis, *I. Cor. I. 26. 27. seqq.* Christusque omnes omnino quam humanissime inuitat, vt exemplum suum sequantur, *Matth. XI. 28.* Immo Ioannes baptista omnes sine status vitaeque generis discrimine, ad baptismum admisit, plebeios, publicanos, milites, *Luc. III. II. seqq.* Vnde firmissime colligitur, nullum esse statum, modo in se vitium non inuoluat, & humani generis commoda promouere aptus sit, quocum verus christianismus consistere nequeat, nec quenquam mortali um, a christianismo, adeoque legitimo christiani nominis usu arceri, modo ipse vel incredulitate, vel vitae improbitate, eodem se indignum non reddat.

* conf. quae iam hac de re praeses dixit, in *instit. theol. moral. part. II. cap. I. §. XIV.*

S. D. G.

CLA-



CLARISSIMO DOCTISSIMO *QUE* IUVENI

M. IOHANNI ROESNERO,


S. P. D.

PRAESES.



Vi litterarum se consecrarunt studiis, hoc sibi merito datum credunt, ut illis, qui patriae & ecclesiae rebus dispensandis praesunt, temporis recte collocati reddant rationem. Idque cum quam commodissime fieri queat, si publico specimine demonstrent, quid valeant humeri, quid ferre recusent, tantum abest, ut reprehendendum huncce morem existimem, ut maximopere potius laudem. Et quis non laudet? modo vana ingenii ostentatio absit, & inanis gloriolae confectatio, quae nec cum probitate, nec cum prudentia consistere potest. Retineantur itaque instituta innoxia & salutaria, & seiungatur ab iis quod vitium trahit, aut labem rebus innocentissimis adspersit. Quod cum TECVM quoque

que



que perpenderes, CLARISSIME ROESNERE, te-
cte & ordine fecisti, dum studiis academicis
specimine publico imponere finem decreuisti.
Nec dubito, quin eo saltem id a TE consilio fa-
ctum, ut illi, quibus rerum Tuarum rationem
reddere debes, intelligerent, non male quod in
hac academia transegisti, collocatum tempus.
Nec argumentum, in quo ingenii periclitari vi-
res constituisti, displicere rerum harum intelli-
gentibus potest: quippe quod & utilitate, gra-
uitateque, & dignitate se facile omnibus com-
mendabit. Ecquid enim aut necessarium ma-
gis, aut ingenuo homine dignius, quam chri-
stiani nominis, quo tot mortales frustra superbi-
unt, vim perspectam habere & exploratam? Ne
dicam, occasionem hac ratione TIBI suppedita-
tam, ecclesiasticae antiquitatis capita hanc vul-
garia delibandi. Quo nomine UT TIBI merito
gratulor, ita ut patria pariter ac ecclesia ex stu-
diis tuis commoda quamplurima, fructusque
amplissimos vberrimosque capiat, DEVM precari
non desinam.

Ienae pridie Calend. Iunii
M DCC XI.

Coll. diss. A 15, misc. 25